



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.





Sem 7



MANUFACTURED BY







CANONES
S. HIPPOLYTI

ARABICE E CODICIBUS ROMANIS

CUM

VERSIONE LATINA ANNOTATIONIBUS ET PROLEGOMENIS

EDIDIT

D. B. DE HANEBERG.



MONACHII, 1870.
SUMPTIBUS ACADEMIAE REGIAE BOICAE.
IN COMMISSIS HABET G. FRANZ

Prolegomena.

I. Orientalis Ecclesiae jus canonicum eruditorum virorum variis studiis ita elucidatum est, ut jam non adeo multa desiderentur, quae ad leges sacras Patriarchatus Constantinopolitani et Antiocheni cognoscendas necessaria sunt. Alexandrinae autem ecclesiae leges, legumque interpretationes paene ignotae, in variis codicibus copticis, arabicis et aethiopicis adhuc latent.

Magna quidem pars earum legum, quae Alexandrinis codicibus continentur, ex iisdem fontibus desumta est, unde collectiones graecae fluxerunt; conciliorum enim oecumenicorum et provincialium canones plurimi eadem ratione ab Alexandrinis recensentur, qua in Nomocanonem et syntagmata varia Graecorum recepti sunt. Neque tamen ipsius Nicaeni Concilii primi canones iidem sunt Alexandrinis, quibus Graeci cum Latinis utuntur. Jam dudum e codicibus Aegyptiacis bina series Canonum Nicaenorum Graecis ignotorum latine publicata est; multa alia usu Alexandrino medii aevi codici legum adjuncta sunt, quae Nomocanoni Graeco desunt. Quorum documentorum nomina quum ex encyclopaedia Abulbaracati, „quae lux tenebrarum“ vocatur, ¹⁾ tum ex nomocanone Ben Assalii discimus. ²⁾

1) Cod. Vatic. 623 et 106. Tertium exemplar habet Museum Borgianum.

2) Ben Assalii Nomocanon extat in Cod. ar. Vatic. 151, qui codex scriptus est a. 1289, deinde in Cod. Vat. 492, qui scriptus est a. 1334. Tertium exemplar quod in Cod. ar. Barberin. VI. 70.

II. Quorum autorum recensio legum ecclesiasticarum optime praeclaro Codici Canonum consonat, cujus exemplar integrum in bibliotheca Vaticana in duobus voluminibus formae majoris extat. ¹⁾ Clarissimus Jos. Assemanius librum pretiosum in eo itinere emit, ²⁾ ex quo tot adjumenta literaria in scrinia Vaticana reportavit. Ipse indicem texuit primo in appendice primae partis bibliothecae Orientalis, deinde in Catalogo, ³⁾ quem Majus publicavit.

Omnia, quae continet, ad quinque classes reduci possunt.

1. Inserta sunt acta synodalia patriarcharum Alexandrinorum mediæ aevi, e quibus doctissimus Renaudotius quaedam suae historiae patr. Alex. intexuit. 2. Canones Conciliorum oecu-

exhibetur, paene me effugit, cum in carta annexa ita notetur: „Maronitarum hic liber antiquissimus est cujusdam Abraham collectoris Canonum. Inde vero mira lux effulgebit aliis Codicibus tum Coptorum tum etiam Graecorum, qui de conciliis oecumenicis scripti sunt.“ Hic codex carschunice scriptus est, quare factum est, ut Maronitis tribueretur, quibus paene nihil cum Coptis est commune. Idem opus hoc codice contineri, quod in Codd. Vaticanis 151 et 492 extat, ipse vidi. Vaticani autem Codices illi in Catalogo Assemaniano Ben Assalio tribuuntur. Sunt duo fratres Copti hoc nomine insigniti, de quibus haec ex „lucerna tenebrarum“ Abulbaracati excerpti (Cod. Vat. ar. 623, p. 238):

المؤمن ابو اسحق ابن العسال له مجموع اصول الدين
 آداب الكنيسة. السلم المغني الصفي ابو الفضائل
 اخوه له جامع اختصار القوانين ومختصر من هذا
 المختصر يسمى كفاية المبتدئين في علم القوانين.

Vixit hic Ben Assalius c. annum 1240.

1) Cod. Vatic. arab. 149. 150. Ejusdem Codicis partem priorem in Bibliotheca Barberiniana sub siglo VI. 33. latentem deprehendi.

2) Bibl. Or. t. III. P. I. 278. cf. p. 15.

3) B. Or. t. I. p. 619. Maji, Scriptorum Veterum nova Collectio. t. IV. p. 275—283.

menicorum et provincialium. In hac classe ea pars, quae canones Nicaenos continet, digna est, quae edatur. Habemus versiones latinas, quibus viri docti usi varie de origine et vi illorum canonum disputaverunt; ¹⁾ quae versiones, quamquam laude dignae sint, tamen non omnino sufficiunt. 3. Tertio loco leges civiles commemoramus, quae in illo Codice sub nomine quatuor librorum regionum extant. Quae quamquam e basilicis graecis traductae esse videntur, tamen auctoritate concilii Nicaeni commendantur. Abulbaracat, hanc partem Nomocanonis Alexandrini recensens dicit:

الكتب الاربعة المنسوبة لقوانين الملوك التي كتبت بحضرة
الجمع الكبير الثلثماية وثمانية عشر اسقفا بجلس قسطنطين
„Libri quatuor, qui referuntur ad Canones basilicos, qui scripti sunt in praesentia concilii magni CCCXVIII episcoporum assidente Constantino.“ Cautius de his libris basilicis loquitur Ben Assalius. (Barber, VI. 70. Prooemium.)
الرابع عشر القوانين المعروفة بقوانين الملوك مشتملة على
السياسات العالمية وقيل انها اربعة وانها اختصرت للملوك
من اقوال كثيرة لجمع نيقية كتبت في مجاس قسطنطين
الملك احده المعروف بالتطسلا وعدده اربعين بابا والملكية
اختصروه وهو كتاب جيد جدا

„Decimum quartum locum obtinent Canones, qui nomine Canonum basilicorum noti sunt. Continent administrationis civilis leges. Secundum quosdam libris quatuor componuntur suntque ab imperatoribus ex multis documentis in compendium redacti pro concilio Nicaeno: Scripti sunt in consessu Constantini imperatoris. Unus eorum nomine Tituli (τίτλοι) notus est, quadraginta capitula continens. Melchitae eum in compendium redegerunt. Est autem liber excellentissimus.“

1) Cf. Hefele, Conciliengesch. I. p. 345 seqq.

4. Copiosa sunt documenta Apostolorum nomine insignita; praeter canones Apostolorum notissimos offeruntur alii eorundem Apostolorum canones, variae constitutiones.

Quae omnia spuria esse, neque ad ipsos Apostolos referenda, constat; inesse tamen his documentis antiquissimas doctrinae et disciplinae Christianae reliquias, eo certius agnoscitur, quo uberior copia versionum praesto est. Habemus Didascaliam aethiopicam et Copticam editas a Tattam et Pell Platt, Syriacam Lagardio debemus, restat adhuc, ut arabice etiam legi possit. Didascalia arabica non modo in hoc vaticano codice, sed etiam in Barberiniano et Borgiano et Bodlejanis ¹⁾ occurrit.

5. Ut in libris synodici Graecorum et Syrorum etiam in hac collectione singula doctorum scripta inveniuntur, ut St. Basilii epistolae canonicae. In hac classe documentorum occurrunt etiam „Canones XXXVIII Hippolyti Summi Pontificis Romani.“ Quo major est hujus antiquissimi Scriptoris autoritas, eo magis mirandum est, neminem huic usque hos Canones edidisse, ut ab eruditis dijudicarentur. Extare Canones „Abulidis“ jam Wanslebius ²⁾ in Aegypto didicit, qui libro suo de rebus gestis ecclesiae Alexandrinae Canonum Abulidis themata gallice edidit (1677). Ludolfus haec capita Canonum latine versa Commentario suo ad historiam Aethiopicam inseruit (a. 1691. p. 333.) Ludolfus agnovit, Abulidem Aethiopum et Arabum neminem alium esse, nisi Hippolytum, quod Wanslebius adhuc ignoraverat. ³⁾ Hoc nostro tempore J. W. Bickellus, cum sollerti indagine

1) De quibus v. Grabe: An Essay upon two Arabick Manuscripts the Doctrine of the Apostles. London 1712. 8°. Ed. 2.

2) Histoire de l'église d'Alexandrie écrite au Caire même en 1672 et 1673. Paris 1677. p. 280 ff.

3) Wansleb dicit: „Je n'ai jamais pu savoir ni conjecturer qui est cet Abulides. p. 280.

conquireret, quaecumque juris ecclesiastici orientalis documenta inveniri possent, ¹⁾ capita Canonum Abulidis e Wanslebio gallice iterum publicavit. Non dubito, quin haec capita canonum ex Encyclopaedia Abulbaracati desumpta sint, e qua Wanslebius optima quaeque elegit. ²⁾

III. Non ad alium Hippolytum hos canones referri, quam eundem, cujus est Canon paschalis, ex titulo apparet, quo ornantur. Apud Abulbaracatum sic signantur hi canones:

القوانين التي وضعها ابوليدس مقدم اساقفة رومية كاوامر
صاداتنا (ساداتنا 1.) الرسل من جهة سيدنا المسيح
وعدتها ثمانية وثلثون قانونًا.

„Canones, quos composuit Hippolytus Princeps Episcoporum Romae secundum mandata dominorum nostrorum Apostolorum ex auctoritate (pr. a parte) Domini nostri Christi. Sunt autem 38 Canones.“

Ben Assalius: „Duodecimo loco Canones Hippolyti Patriarchae Romani, qui sunt numero 38, scilicet in versione eorum Coptica. Sunt autem utilissimi. Ambagabriel Patriarcha Alexandrinus in Canonum collectione, quam recensui, eosdem proposuit.“
الثاني عشر قوانين ابوليدس
بطريك رومية وعدتها ثمانية وثلثون قانونًا يعنى باخراجها
القبط وهي مفيدة وقد اوردها انباجبريال بطريك
الاسكندرية في القوانين الذي غمستها.

In utroque codice Romano canonum autor vocatur: S. Patriarcha Hippolytus, primus Patriarcha urbis Romae et Hippolytus Summus Episcopus Romae. Quae inscriptio

1) Geschichte des Kirchenrechts I. 1843. p. 186 ff.

2) Wansleb p. 2 fatetur: Le gros de l'ouvrage a été tiré de deux livres „Le 1. s'appelle Mosbah iddolmeh.“

omnino refragatur opinioni Assemani ¹⁾ aliorumque, qui Hippolytum usque in Arabiam transtulerunt, Portus Romani Arabici Episcopum eum fuisse conjectura levi suspicantes. Qua quidem conjectura facilius explicari videbatur, quomodo factum sit, ut tantus scriptor apud Occidentales paene in oblivionem deductus sit. Sed hujus oblivionis rationes satis fortes adesse iis, qui Hippolytum tempore Callisti jam senescentem Romae vitam egisse agnoscunt, postea videbimus. Hoc loco satis est, ut agnoscamus, orientales scriptores inter verum et legalem papam Callistum ejusque aemulum et antipapam non distinguentes, Hippolytum omnino Summum Pontificem nominare. Parum refert ut inquiramus, cur ab iisdem primus Patriarcha vocetur. Potius disquirendum est, quo jure illi Alexandrini canones 38 huic ipsi Hippolyto tribuantur.

IV. Si canones illi ita scripti essent, ut arabicam originem prae se ferrent, omnis spes abjicienda esset, ut Hippolyto vindicarentur. Jam vero cuilibet vel obiter hoc documentum perlustranti persuasum erit, esse translatos ex alia lingua. Non raro ambiguitate et obscuritate ²⁾ tanta

1) Bibl. Or. III. p. I. 15. „Hippolytus, Portus Romani non ad Ostia Tiberina, sed celebris in Arabia hoc nomine Emporii Episcopus, ut Stephanus le Moyne conjicit.“ Fuisse Hippolytum presbyterum Romanum post mortem Papae Zephyrini († 219) aemulum Papae Callisti, dilucide et copiose statuit Döllinger: Hippolytus p. 76 seqq.

2) Quilibet linguae arabicae gnarus, videbit, plurima, in his canonibus minus accurate magisque ad modum sermonis vulgaris, quam secundum leges grammaticas esse scripta, quamquam multa eleganter dicta sunt. In inscriptionibus e.g. القانون الحادى والثلاثين pro الثلاثون scriptum est. Haec et similia non semper correxi. De significationibus proprie theologicis, quas lexica nostra ignorant, in annotationibus, quae necessaria videbantur, dixi; e. g. قَسَمَ est „ordinare“, sacris ordinibus ut diaconatus vel presbyteratus initiare. طميت vel طميت est hebr. טמא impurus.

laborant, ut translator non satis intellexisse videatur quae vertenda suscepit. Accedit, quod vocabula non modo a genio linguae Arabicae aliena sed omnino peregrina occurrant. Quaedam ex his vocibus a me explicari omnino non potuerunt, de quibusdam dubito. Quid sit *elkâtâken* الكوتاكن (can. 33) equidem ignoro (cf. annotationes). De voce *الابو الدس* vix conjecturam proponere ausus sum. Quarumdam peregrinarum vocum significatio ideo dubia remansit, quia nimium sunt depravatae, ut *elmunista* et *bâlûtes* (Can. 12). Caeterae, quamquam non raro sint magnopere depravatae, ex contextu vel ex comparatione variorum locorum explicari possunt. Esse canones istos arabicos translatos ex alia lingua ultra omnem controversiam certum est.

Quaeritur, ex qua lingua fluxerint. Quo frequentius commercium literarum inter Syros et Arabes per plura saecula intercessisse constat, eo facilius e fonte Syriaco hos canones ortos esse praesumi posset. Quae tamen praesumptio certis rationibus sustineri nequit. Occurrunt paene ubique tot non modo voces, sed etiam phrases graecae, ut graecum aut copticum fontem agnoscere possimus. Copticus textus ideo supponi potest, quia Coptae Christiani in iis libris copticis, qui de rebus sacris tractant, innumeras voces graecas integras, quamquam secundum vulgarem pronunciationem scriptas, immiscere solent.

Graecam tamen potius, quam copticam originem prodere videtur is locus, qui liturgicas formulas, mire quidem depravatas, sed tamen graecas, continet integras. Non diffitendum est, in liturgiis copticis similes formulas graece exhiberi, multa enim graeca in officiis divinis occurrunt, sed illae ipsae sententiae, quas in nostris canonibus legimus, in graeca tantummodo St. Marci liturgia invenimus. ¹⁾

1) Scriptum erat *اخومار امر سطيكمرس* ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.
 انايمن secundum contextum nihil aliud esse potest, quam ἄνω σχῶμεν.

E graeco fonte hos canones fluxisse eo etiam loco (can. XII.) insigni effici posse videtur, quo praescribitur, quatenam genera superstitionum et ludorum scenicorum a Christianis vitarentur. Interpres arabicus voces plures graecas retinuit, alias sic transtulit, ut vix conjectura assequi possemus, quid significare voluerit, nisi hujus interdicti variae editiones et graecae et barbarae extarent. Graecam quandam recensionem hujus interdicti habemus duplicem: alteram in Constitutionibus Apostolorum (l. VIII. c. 32. ed. Cotelier I. p. 417), alteram in Diatxi Ap. (l. 20. apud Fabricium opp. Hippol. p. 253. Lagarde, reliq. gr. p. 11). Ad hunc graecum textum proxime accedit Didascalia coptica, quae duplicem formam ejusdem legis tradit, extensio-rem in libro secundo (p. 44 seqq.), brevior-rem in libro sexto (p. 168). Tertio loco comparanda est Syriaca editio, quae in fragmento libri sexti Clementis nuper impresso apparet (Reliq. juris ant. syr. ed. Lagarde p. 30 seq.). Ceteras versiones, cum parum nos adjuvent, omitto. Cogitari posset, interpretem arabicum exemplari coptico usum esse, constat enim, quod dixi, Coptas innumera vocabula graeca, paene integra libris suis intexuisse inprimis iis, qui de rebus sacris tractarent. Pro exemplo sit vox Kiles (كيلس), pro qua Barberinianus habet Kenikes (كنيكس). Si Vaticanum secuti Kiles retinemus, de κλη-τηρ, de eo igitur qui carmine superstitioso bestias, vel morbos deliniret, cogitandum esset. Cum autem in Didascalia coptica κυνηκος, vocabulum aperte graecum, occurat, lectio Barberiniana praefenda est. De κυνηγῶ sive venatore igitur est sermo. Hanc vocem, quamquam graecam, e coptico exemplari interpres integram recepisse videri potest. Si in textu graeco vocem invenisset, quae venatorem significat, cur propria sua lingua, quae venatorem variis nominibus ¹⁾

1) قناص, صياد

vocare potest, verum sensum non expressit? Huic tamen difficultati occurri potest. Interpres, qui venatores ab ecclesia arceri videbat, non vulgares venatores esse suspicans, vocabulum graecum intactum reliquit.

E graeco fonte istam arabicam interpretationem ortam esse erroribus quibusdam vero simile est. Inter eos, qui ob turpitudinem vitae ab ecclesia arcendi essent, connumerantur „debiles“ (عاجز). Qua in culpa sunt debiles homines, ut beneficiis religionis christianae priverentur, quae ad pauperes debilesque fovendos varie omnes adhortatur? In graeco exemplari vox rarior βλάξ extitisse videtur, quae adhuc in diatysi et constitutionibus Ap. (l. c.) servatur. Βλάξ a scholiaste (apud Lagarde, rel. gr. p. 12) ita explicatur ὁ τρυφελὸς καὶ διακεχυμένος; in lexico Cellarii explicatur ita: „mollis, delicatus, lascivus; stolidus, hebes, stupidus.“

Similis error, magis adhuc apertus, in interpretanda voce ψῆφος accidit. Interpres eam tantummodo significationem novisse videtur, qua ψῆφος est decretum, suffragium. Interpretatur enim (تركية) „approbatio“. ¹⁾ In eo autem loco, ubi haec vox occurrit, (Can. 30) ψῆφος „calculus, lapillum, lapidem pretiosum“ significat, est enim locus desumptus ex novo Test. (Apocal. 2, 17. δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινόν.) Fieri tamen potuit, ut in coptico exemplari servata esset vox ψῆφος. Revera eandem, quamquam male in ψυχος depravatam, extare in loco Didascaliae copticae, videmus, ubi decreti significationem obtinet, quo in loco interpres Arabs, teste Tattamo, التركية posuit. ²⁾

Alio loco vox primo latina, deinde in usum vulgarem

1) Scriptum est تركية quae scriptio antequam errorem agnoscerem, multum me exercuit.

2) p. 132.

etiam Graecorum recepta, scriptoribus Codicum arabicis difficultates attulit. Praescribit enim canon 17. ut foeminae juniores velentur non panno subtili, sed *بباليهن*. Si legas *ببالتهن* forma aliquo modo, sed reluctante usu, arabice explanari potest: „ad ipsarum commodum.“ Omnem autem dubitationem tollit Didascalia coptica (p. 50), quamquam sententia, cui illa vox inserta est, contradicat nostro canonem. Didascalia enim secundum versionem Anglicam habet: „Omnes autem foeminae ne cooperiant capita sua palliis, sed panno subtili bombycino, hoc enim eorum velum est.“

In textu coptico legimus *παλλιν*, quod editore teste Arabs interpres retinuit. Tattamus annotat, se ignorare, cujus generis hoc indumentum *بالين* fuerit. Suspici licet, latere latinam vocem „pallium“, quae jam pridem a Scriptoribus Graecis adoptata est. Du Cangio teste (v. *παλλιον*) Gregorius Nazianzenus hoc vocabulo usus est.

Quodsi in recentioribus manuscriptis pallii quaedam resonantia invenitur, vera origo arabici vocabuli *بباليهن* *πέπλος* vel peplum fuisse videtur, quae vox etiam a latinis recepta est.

Haec omnia et alia ita sunt composita, ut inter textum graecum et copticum ambigui haereamus; quamquam ad copticum magis pronae sunt rationes, quia loci omnes textu coptico supposito explicantur, nullus autem locus excluso coptico graecum exposcat. Accedit, quod in uno loco vestigium fontis coptici certum remansit. Canone enim penultimo praecipitur, ut habeant clerici vestimenta ornata et „dhubin“ vel „tubis“. Haec vox ex lingua arabica mutata scriptura contortam quandem significationem recipit. Omnino plane autem sententia currit, si copticum verbum „toubos“ purificare adhibemus. (V. annotationes ad can. 37.)

Quae cum ita sint, fieri potuit, ut Canones veteres ser-

mone graeco scripti jam pridem coptice versi ad posteritatem deferrentur.

Revera autem documentum antiquitatis his canonibus contineri, si certa testimonia desunt, comparatione tantummodo cum antiquis monumentis instituta effici potest.

V. Cum trinis antiquitatis documentis hos canones arctissimo nexu conjunctos esse, brevi comparatione edocti, ad hanc conclusionem compellimur: Aut ex illis documentis sunt desumpti, aut ipsa illa documenta ex his canonibus sunt conflata, aut omnia haec monumenta ex communi fonte fluxerunt, aut, quod paene idem esse videtur, ejusdem sunt authoris, cui placuit easdem causas tum canonibus tum caeteris scriptis tractare.

Sunt autem illa documenta, inter se varia necessitudine conjuncta, haec. Primum locum obtinent brevissimae constitutiones graecae, quas jam pridem Gravius ex Oxoniensibus codicibus edidit, Fabricius autem collectioni fragmentorum Hippolyteorum inseruit. ¹⁾

Variis nominibus parvus libellus apud varios ornatur. Apud Fabricium inscribitur *διατάξεις τῶν αὐτῶν Ἀποστόλων*. In codice Monacensi (gr. 380), quo usus Lagardius ²⁾ novam editionem procuravit, sic inscribitur: *διατάξεις τῶν αὐτῶν Ἀποστόλων περὶ χειροτονιῶν διὰ Ἰππολύτου*. Alio nomine apud cl. Card. Pitram exhibentur, qui eundem tractatum primo tomo operis nondum perfecti inseruit. ³⁾ *Διατάξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων περὶ μυστικῆς Λατρείας*. Cui novissimae editioni ad marginem additae sunt notae brevissimae, quibus indicatur, quomodo singulae sententiae hujus libelli cum singulis articulis septimi et octavi libri Constitutionum

1) S. Hippolyti Opera. Hamburgi 1716. p. 248—259.

2) Reliquiae juris ecclesiastici antiquissimae. 1856. p. 5 seqq.

3) Juris Graecorum Historia et Monumenta. T. I. 1864. p. 49.

apostolicarum conveniant. Diataxes enim non modo secundum mentem sed etiam secundum verba cum magna parte illorum librorum omnino conveniunt. Habent autem illi duo postremi libri notissimarum Constitutionum plura, quae in Diataxi desiderantur. Quaedam autem quamquam conveniant, tamen proprio modo recensentur.

Alterum documentum coptica Didascaliam est a Tattamo edita. ¹⁾ Septem libris constat, quorum ultimus Canones Apostolorum notissimos continet, caeteri ex libris constitutionum apostolicarum varias series exhibent. Nondum satis exploratum est, quomodo singuli libri inter se connectantur, sextus tamen secundi quaedam varia editio esse videtur. Non dubito, quin haec coptica recensio antiquissimam formam constitutionum Apostolicarum in pluribus partibus exhibeat, si nostros arabicos Hippolyti Canones excipias.

Tertio loco comparanda sunt fragmenta Syriaca Constitutionum Apostolicarum, quae e vetusto Codice Parisino nuper a Lagardio edita sunt. ²⁾ Primum occurrit (p. 2 — 14) Testamentum Domini N. J. Christi, sive primus liber Clementis, deinde (p. 15 — 19) excerpta e secundo, (p. 19 — 22) e tertio, (p. 22 — 31) e sexto libro Clementis. Sequitur doctrina, quae appellatur Adaei (p. 32 — 42) cujus novam editionem Cureton et Wright (Ancient syr. doc. p. 24 — 35 etc.) curaverunt. Postremo additur octavus liber Clementis, qui 82 Canones Apostolorum notissimos continet.

Aethiopicam ³⁾ et Syriacam ⁴⁾ didascaliam hoc loco prae-

1) The Apostolical Constitutions or Canons of the Apostles in Coptic. With an English Translation by Henry Tattam. London 1848. Cf. Bunsen, Hippolytus and his Age. London 1854. I p. 454. II. p. 412 seqq.

2) Reliquiae Juris ecclesiastici antiquissimae. 1856.

3) The Ethiopic Didascaliam. Edited and translated by Thomas Pell Platt. London 1834. 4^o.

4) Didascaliam Apostolorum Syriace. (Ed. Lagarde.) Lipsiae 1854.

termitto, comparatione canonum cum graeco, coptico et syriaco vetustiore textu Constitutionum contentus. Aethiopica enim editio ad Abyssinorum ingenium et usum ita mutata est, ut inter solida vetustatis testimonia annumerari non possit. Etiam didascalica Syriaca aetatem fragmentorum syriacorum, quae commemoravimus, non attingere videtur.

Quodsi jam canones nostri cum antiquissimis constitutionum Apostolicarum vel editionibus vel fragmentis comparantur, non raro nihil aliud, nisi quaedam propria editio aliquarum partium earumdum constitutionum esse videri possent.

Accuratius autem rem perspicienti facile persuadetur, non modo proprium quid esse, sed caetera, quae enumeravimus documenta antiquitate praecedere.

Cum caeteris enim multa communia habent, quae ad tempus persecutionum Christianorum referenda sunt, in iis autem, quae ad proprietatem horum canonum pertinent, certa remotioris antiquitatis signa apparent. De his vetustatis vestigiis accuratius nobis tractandum est.

Primo occurrit locus (can. XIII.) de militibus et praetoribus ad baptismum non admittendis. Omnes recensiones Constitutionum Apost. de eadem causa tractant, sed vario modo. In illa Diatassi, quam primo loco comparandam proposuimus, milites monentur, ut contenti sint stipendiis suis, neve quem injuria afficiant vel falsa calumnia vexent. (Fabric. p. 254, Lagarde p. 11. ¹) Quae exhortatio ad omnes omnium temporum milites pertinere potest. Arabicus de militibus canon cavet, ne Christiani, qui imperatoribus sacramentum dixerunt, superstitionis cujusdam signa admittant. Arabicus enim canon XIII. vetat, ne milites Christiani capita

1) Στρατιώτης προσιών διδασκέσθω μὴ ἀδικεῖν, μὴ συγκοφαντεῖν, ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς διδομένοις ὄψωνίοις, πειθόμενος μὲν προσδεχέσθω, ἀντιλέγων δὲ ἀποβαλλέσθω. Cf. Pitra I, p. 65.

coronis ornent. Militaris coronae donatio Christianis occasio erat, fidem suam aperte profitendi, novimus enim ex Tertulliano, illius ornamenti usum superstitionis signum fuisse. Postquam in apologetico (c. 32) omnem usum festivum coronarum a Christiano more alienum ¹⁾ dixit, proprio libro de corona militari hanc causam tractavit. „Putanda denique licere militiam usque ad causam coronae. Sed et de corona prius dicamus. Laurea ista Apollini vel Libero sacra est: illi ut deo telorum, huic ut deo triumphorum. Sic docet Claudius cum et myrto ait milites redimiri solere. Veneris enim myrtum . . . Quum et olea militia coronatur, ad Minervam est idololatria, armorum aequae deam, sed et paci cum Neptuno inita ex hac arbore coronata. In his erit serti militaris superstitio polluta et polluens, omniaque jam polluentur et causis.“ (De Corona c. XII). Quae L. Sept. Severo regnante a Tertulliano contra coronarum usum dicta sunt, etiam Severo Alexandro imperante ab Hippolyto retineri poterant.

Post Constantinum magnum inutili studio lex prohibuisset, ne milites Christiani coronarum superstitioni cederent. Hoc igitur signo agnosci potest, canones nostros arabicos ad ea tempora imperatorum pertinere, quibus milites diebus festivis ad superstitiosos ritus adigebantur.

Idem tempus produnt ea praecepta hujus canonis, quibus Christiani coguntur, ut vitae militari omnino renuncient atque etiam praefecturas fugiant, quibus inesset vitae necisque potestas. Hac in parte rigor nostri canonis cum Didascalia coptica consonat.

Conferenda sunt, quae in Syriaco Codice Sangermensi e secundo libro Clementis de militibus proferuntur: „Si quis miles est, vel potestatem gerens, discat non calum-

1) Non emo capiti coronam. Quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar Nos coronam naribus novimus, viderint, qui per capillum odorantur.

niari, non occidere, non rapere, non inhiare (rebus aliorum), iracundia non exardescere, neminem injuria afficere, sed contenti sint stipendio, quod accipiunt. Quodsi ad dominicum baptismum admitti volunt (proprie: baptizari volunt in domino) a militia vel a potestate, quam gerunt, sese abdicent. Quodsi facere recusant, non recipiantur (ad baptismum). Si vero aliquis ex catechumenis vel ex fidelibus militiae nomen dare vult, ab hoc consilio resiliat, sin minus, rejiciatur; illo enim consilio suo Deum contemnit, relictisque rebus spiritualibus fidem respuit atque aspernatus est.“ (Lagarde, rel. juris. syr. p. 16.)

Didascalia coptica (p. 46) milites, qui potestate (*ἐξουσία*) sint instructi, obligat, ut a sanguine effundendo abstineant. Deinde iis, qui potestatem habent, haec praecipit: „Qui habet potestatem (*ἐξουσία*) gladii et qui fungitur praefectura urbis (*ἀρχων πόλεως*) purpura indutus (praetextatus)¹⁾ aut abdicet aut rejiciatur.“ Hujus audaciae, qua motus author Christianus dignitatem militarem ab imperatoribus summo studio honoratam, tam ignominiose proscribebat, rationes in moribus imperatorum tyrannorum quaerendae sunt. Tempora Macrini et Heliogabali hanc ignominiosam christiani Episcopi contra milites legem explicant. Erant enim illis tristissimis temporibus milites pro carnificibus; mittebantur, non ad bellum civile pro imperatoribus sustinendum, sed ad neces innumeras atque injustas civium optimorum, testibus Julio Capitolino et Aelio Lampridio. Ex turpissimis moribus et institutis horum imperatorum ea etiam interpretari possumus, quae de bestiariis et venatoribus dicuntur (Can. 12). Lampridius enim nos docet (21.) Heliogabalum canes jecoribus anserum pavisse. „Habuit leones et leopardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios, subito

1) Cf. Lampridii Severus c. 40.

ad secundam et tertiam mensam jubebat accumbere.“ — Elephantorum quadrigis et camelis delectabatur (ib. 23).

„Canes quaternos ingentes junxit ad currum . . . processit in publicum et quatuor cervis junctis ingentibus. Junxit sibi et leones . . . junxit et tigres . . . habuit et hippopotamos et crocodilum et rhinocerotem.“ (Lampridius 28.)

His deliramentis quot homines ad venandas et mansuetandas bestias necessarii fuerint, facile aestimari potest. Hoc genus venatorum et mansuetariorum baptisate indignum erat. Illorum temporum corruptela explicatur etiam, quomodo factum sit, ut etiam aurigae quos Syriacum exemplar servata graeca voce *ἡνιόχους* appellat, proscriberentur. Lampridius de Heliogabalo narrat (31). „Iter privatus nunquam minus sexaginta vehiculis fecit, avia sua Varia reclamante, quod omnia perditurus esset. Imperator vero etiam sexcenta vehicula dicitur duxisse . . . Causa vehiculorum erat lenonum, lenarum, meretricum . . . multitudo.“

Ea igitur praecepta, quibus officia natura sua honesta, sed pessimorum imperatorum vitiis foedata, proscribuntur, ad haec ipsa tempora referenda sunt. Inter varias recensiones illorum praeceptorum canones nostri ideo eminent, quod signa certissima depravatae aetatis Caracallae, Macrini et Heliogabali fidelius servaverunt, quam caeterae editiones. Quibus rebus efficitur, conditos esse vel ab ipso Hippolyto vel ab auctore aetati Hippolyti proximo.

Accedunt alia argumenta antiquitatis.

Insigne praeceptum horum canonum ad grammaticos pertinet. Non facilis quaestio erat, quid agendum esset magistris, qui Christianam fidem professi, scholas suas dimittere non poterant. Virgilium, Horatium et caeteros autores interpretabantur. Eo tempore, quo Christiani mortem potius obibant, quam thuris micam arae injicerent, Christiano vix dignum esse videbatur, ut ea poemata, in quibus memoria deorum honore afficiebatur, discipulis interpretaretur.

Non est igitur, cur miremur, in Clementinis quaedam praecepta occurrere, quibus magistri tanquam lege conscientiae uterentur ad munus suum christiano modo administrandum. In constitutionibus Apost. (l. VIII. c. 32) praescribitur hoc: Qui docet (*ὁ διδάσκων*) quamvis laicus sit, modo peritus in sermone ac morum probitate ornatus, doceat.

Haec vaga ratio praecepti aetatis persecutione posterioris indicium est. Fortius de eadem re Syriacus liber secundus Clementis (apud Lagardium: Reliquiae juris eccles. Syriace. 1856. p. 16. col. 6 seqq.) haec praescribit: „Si quis puerorum magister est in sapientia mundana, bene est, si (hanc professionem) dimittit. Quod si vero aliam artem non habet, unde vivat, venia illi concedatur.“

Canon noster arabicus Hippolyti duodecimus suo nomine „magistrum puerorum qui in sapientia mundana“ discipulos exercet, „grammaticum“ vocat; deinde exacta praecepta adjungit, quae illorum temporum conditionibus conveniunt: „Grammaticus, qui parvos pueros instruit, si aliam artem non novit, qua victum quaerat, corripiat eos, qui semper ab ipso instruuntur, quando quis Daemones, qui a Gentilibus Dii vocantur, agnoscere videtur“ etc.

Recensio Syriaca, quae in Testamento Jesu apparet, graecam editionem octavi libri constitutionum superat antiquitate, superatur autem a nostro canone.

Certioribus etiam signis antiquitatis ea adnumeranda sunt, quae (can. 32. 33. 35.) de Agapis, sive de Christianorum epulis piis traduntur. Coenas illas, quae in illis canonibus *velîme, velâjim* (*وليمة*, plur. *ولائم*) vocantur, veras agapas esse, ex comparatione hujus loci cum descriptione Tertulliana agaparum apparet. (Apologet. c. 39). Canones nostri de his epulis tam aperte, tam copiose loquuntur, ut appareat, eo tempore, quo conditi sunt, hunc usum nondum in desuetudinem venisse.

Norunt eruditi, jam Apostolum Paulum in prima ad Corinthios epistola (c. 11, 20 seqq.) hunc usum aliquo modo refraesasse. Tempore S. Ignatii agapae florebat (Epist. ad Smyrn. c. 8.). Cum Plinius Bithyniam administraret, Christianis mos erat, post preces matutinas discedendi „rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium.“ (Ep. ad Trajanum.) Tertullianus, antequam ad Montanistas transiret, illas epulas magnopere laudavit, postea tamen vituperavit.¹⁾ Clemens Alexandrinus Agaparum usum ad pauperes recreandos restringit. Non eas epulas, quae laetitiae causa fierent, agaparum nomine honorandas esse, sed eas, quibus mandato Christi obtemperaretur: Quando feceris epulum, voca mendicos. (Luc. 14, 13.²⁾)

Postea magis magisque institutum, quo primo flore religionis caritas fovebatur, variae intemperantiae occasio fieri incipiebat. Quare factum est, ut agapae a domo Dei arcerentur vel omnino prohiberentur. Canon 28. Concilii Laodicensi (saec. IV.) praecipit: *Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθίειν καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν.* Patres, disciplinae purae defensores, tum omnes epulas ecclesiasticas, tum eas in primis proscribebant, quae post exequias in ipsis coemeteriis, vel in ecclesiis institui solebant. Qua in re S. Augustini auctoritas (cf. ep. 22) plurimum contulisse videtur ad usum, qui jam in abusum degenerare coeperat, tollendum. Concilium Hipponense (a. 393 can. 29), eo progreditur, ut omnes agapas interdicit: Populi etiam hujusmodi convivii quantum fieri potest, prohibeantur. (Cf. Concil. quinisex. can. 74.) Quodsi ea, quae ex codice carschunico tanquam „Timothei doctoris“ praecepta afferuntur,

1) De jejun. c. 17. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet.

2) Cf. Dissert. Nourry p. 47. ed. Migne t. II. p. 885.

ad celeberrimum patriarcham Alexandrinum pertinent (381 bis 412), cujus canones pluribus collectionibus inserti sunt, agapas exequiales tempore S. Augustini in Oriente omnino proscriptas fuisse, constaret.

Secundum Cod. 93 Rehm. p. 110 dixit Timotheus doctor: Calix daemonum et mensa diabolorum sunt pingua et carnes quae vorantur a sacerdotibus inhumanis super mortuis, i. e. occasione exequiarum. Sacerdos igitur, qui in convivio mortuorum carnes comedit, socius est daemonum.

طيماتوس الملفان قال كاس الشياطين ومايدة الشياطين
يكون الزفر واللجم الذي يأكلون الكهنة الغير ادمين
[أدميون] على الاموات فاذا الكاهن الذي ياكل لحمًا في
وليمة الاموات هو شريك الشياطين.

In graeca epistola canonica episcopi Alex. Timothei (cf. Migne t. 33.) illa sententia non occurrit.

Quaecunque hujus fragmenti auctoritas sit, Sanctus Gregorius Nazianzenus et Joannes Chrysostomus convivia, quae in honorem martyrum fieri solebant, et similia tam vehementer improbaverunt,¹⁾ ut ille usus versus finem saeculi quarti et in oriente et in occidente deficeret, si illud agaparum genus excipias, quod ad reficiendos pauperes instituebatur.²⁾ Quae omnia si bene consideraveris, canonum nostrorum aetatem ex iis, quae de agapis praecipunt (can. 32. 33. 35.), agnosces. In graeca Constitutionum Apost. editione commemorantur quidem agapae, sed obiter tantum (l. V. c. 20) et quasi timide (cf. l. VIII. c. 34). Nostri autem canones tam audacter illa convivia commendant, ut Tertullianus, cum adhuc catholicus esset, sed multo copiosius. Praeter Didascaliam copticam, quae etiam in hac parte pro-

1) Cf. Binterim, Denkwürdigkeiten t. II. pars II. pag. 74.

2) Cf. Du Cange, s. v. Agape.

xime ad nostros canones accedit, vix aliud Christianae antiquitatis monumentum extat, e quo plenior agaparum notitia hauriri possit.

Theologi in eo potissimum loco antiquitatis vestigia agnoscent, qui de charismatibus agit. Ea tempora, quibus cautelae necessariae erant ad coërcendam miraculosae gratiae abundantiam, ab Apostolorum aetate non adeo remota esse poterant. De charismatibus Hippolytum scripsisse, sella marmorea testatur; inter fragmenta graeca Hippolyti occurrit: *περὶ χαρισμάτων ἀποτολικῆ παράδοσις*.¹⁾

In canone arabico octavo cavetur, ne qui indigne ementito charismatum titulo in clericorum numerum recipiantur. Ut saepius, ita etiam in hoc antiquitatis signo didascalica coptica consonat. (Can. 39. p. 42.)

Quae canone sexto de martyrum praerogativis dicuntur, optime cum aetate Hippolyti conveniunt. Admiratio martyrii adhuc integra erat, nondum dominici mandati obliti abutebantur quidam, confessionis gloria nimium affecti, ea facultate, quam ipsis consuetudo ecclesiastica tribuerat; nondum Cyprianus (cf. ep. 23) de turbulentis motibus conquestus erat, quibus pax lapsorum atque communione ecclesiae privatorum extorqueretur, invitis Episcopis. Ex ipso Cypriano discimus, quanto honore ii afficerentur, qui contempto carcerum, verberum, tormentorum et ipsius mortis periculo, fidem Christi constanti animo professi essent. Initio libri quinti Constitutionum (c. i. ed. Lagarde p. 123) martyr appellatur: *δοχεῖον τοῦ ἁγίου πνεύματος*, receptaculum spiritus sancti. Haec gloria martyrum illo tempore, quo canones nostri conditi sunt, magis adhuc splenduisse videtur. Quae integritas martyrii cum tempore Hippolyti concordat.

1) Ed. Fabricii p. 245. Apud Lagarde, reliq. gr. p. 1. *διδασκαλία τῶν ἁγίων Ἀποστόλων περὶ χαρισμάτων* e Cod. Monac. 380. Hoc ipsum fragmentum occurrit etiam initio libri VIII. Const. Ap. graec.

Memoratu etiam dignum est, quod in canonibus nostris de loco baptismi dicitur. Primo quidem tempore in fontibus vivis, vel fluminibus et rivis proselytos tinctos fuisse, ex actibus Apostolorum videmus, ubi Aethiops cum Philippo ad aquam rivi cujusdam advectus dicit: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? (Act. 8, 46.) Initio saeculi quarti piscinas quasdam prope ecclesias constructas esse constat, quae baptisteria vocantur; quorum exemplar adhuc in baptisterio Constantini Romano habemus. Priore tamen tempore aquas vivas adhibitas fuisse, sensim sensimque in oblivionem adductum est. Attamen ipsum S. Petrum Romae in Tiberi baptismum administrasse, Tertullianus nobis auctor est.¹⁾

Quod in nostris canonibus de loco baptismi praecipitur, inter utramque consuetudinem medium tenet. Canon 19. praescribit, ut catechumeni adsint: *على تيار ماء بحر صافي* quod proprie sonat: „prope undas fluctuantes aquae maris puri s. purae.“ Mare, nisi fallor, piscina vocatur, quae eodem jure maris nomen habet, quo vas notissimum templi Salomonei mare aeneum appellabatur. Canon ecclesiasticus poscit, ut aqua hujus piscinae non tantum limpida, sed etiam fluctuans sit, quod praestari poterat, si ex alia piscina vel alio majore vase vel ex fonte vivo aqua in piscinam baptismalem derivabatur, unde per canalem defluebat.

Si hunc canonem cum illo praecepto comparaveris, quod de baptisterio in syriaco testamento Jesu extat, series consuetudinum, quae ad baptismum pertinent, completur: „Quando autem perveniunt ad aquas — illae autem aquae

1) „Ideoque nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane et quos Petrus in Tiberi tinxit.“ De baptismo c. 4. (Ed. Migne p. 1203.) Cf. Martene, de antiq. ritibus l. I. c. I.

sint purae et fluentes“ etc. ¹⁾. Quod syriaci documenti praeceptum antiquissimam consuetudinem retinere conatur. (Confer annot. ad Can. 19, § 46.)

Alia antiquitatis signa, quae canonibus nostris arabicis vel cum Didascalia vel cum Clemente Syriaco, vel cum graecis constitutionibus communia sunt, praetermitto. Quae allata sunt, sufficere possunt, ut agnoscamus, non adeo temerarium esse, hos Canones ipsi Hippolyto Romano tribuere.

Si medio aevo ficti essent, istis vetustatis signis carerent; Muslemorum aetatem proderent.

VI. Hos canones ipsius Hippolyti esse, externis testimoniis antiquis confirmari non potest. Commemoratur quidem in libris Syrorum satis antiquis auctoritas Hippolyti ad commendandos quosdam canones, quibus limites potestatis episcoporum caeterorumque clericorum designantur. ²⁾ Sed illa lex, quae in his Syriacis documentis Hippolyto tribuitur, in nostris arabicis canonibus non occurrit; in aliis documentis ita extat, ut verba verbis respondeant, ³⁾ sed Hippolyti nomine non addito.

Ben Assalius, codicem Alexandrinum recensens et canones Hippolyti laudans commemorat, Patriarcham Ambagabriel iisdem usum esse. Quum vix dubitandum sit, quin hic Ambagabriel idem sit, quem Renaudotius circa annum

1) Apud Lagarde, reliquiae juris ecclesiastici antiquissimae. Syriace. 1856. p. 17. col. 13.

2) Cod. Vat. Syriac. 127 f. 15. b. Cod. Vat. Syr. 107. f. 72. b. col. 2. Constitutiones Apostolorum per Hippolytum. Simonis Cananaei (est haec lex), quae pertinet ad ecclesiasticos canones: Episcopus benedictionem impertitur, neque vero accipit etc.

3) Didascalia coptica pag. 134. In Cod. graeco monac. 390 p. 67. — Διατάξεις τῶν Ἀποστόλων per Hippolytum ed. Fabricius p. 252. Ed. Lagarde reliq. juris gr. p. 9. Denique liber Clementis Syr. II. reliq. juris syr. 24. col. 8.

1131 cathedram St. Marci obtinuisse docet, ¹⁾ ad comprobendam genuinam originem Hippolyteam nostri documenti hic testis non sufficit. Ben Assalius neminem ex antiquioribus nosse videtur, qui his canonibus ut Hippolyteis patrocinaretur. Verba ejus supra retulimus.

Pendet igitur fides horum canonum paene tota ab inscriptione, concinentibus illis argumentis internis, quae protulimus. Quibus pauca adhuc adjungimus.

VII. Quaedam in his canonibus occurrunt, quae auctoris rigorem singularem produnt. Can. 16 eum, qui concubinae, e qua filium susceperat, rite non nubit, „occisorem hominis“ vocat. ²⁾ Multo mitius didascalia coptica similem causam tractat. ³⁾

Huc etiam pertinet, quod de infirmo clerico statuit, cui non permittit, ut propter morbum ab ecclesia visitanda excusatus sit. (Can. 21.) Eum, qui magistratum agit in urbe, a coetu Christianorum arceri, inauditum est. Nemo inter veteres doctores ecclesiasticos eo usque severitatis progressus est. Hac autem in re nostri canones (Can. XII) cum didascalia copt. concinunt.

1) Hist. Patriarcharum Alex. p. 501. Multo antea, circa annum 913 alius Gabriel commemoratur (ib. p. 328 seq.), cujus tamen scripta extant nulla. Ille autem Gabriel fil. Tarik, qui a. 1131 in ecclesiam patriarchalem inductus est, inter scriptores canonisticos locum obtinet non ignobilem. Makrizius (Historia Coptorum Christianorum, ed. Wetzler 1828. p. 125) hunc Patriarcham appellat

غبريال المكنى بابى العلا صاعد بن تاريك

2) Forsitan huc pertinent ea, quae in philosophumenis (l. g. p. 462 seq.) leguntur Ὁρᾶτε εἰς ὅσην ἀσέβειαν ἐχώρησεν ὁ ἄνομος μοιχείαν καὶ φόνον ἐν τῷ αὐτῷ διδάσκων.

3) And a believer who hath a concubine, if she be a bond-servant, let him put her away, marrying according to the law: if she be free, let him marry her; but if he will not, let him be rejected,

Quid si admittimus, Hippolytum et nostrorum canonum et constitutionum Apostolicarum auctorem ita esse, ut, quae ab Apostolis acceperat, colligeret, suisque ipsius placitis auget? ¹⁾ Libros illos, qui dicuntur Constitutiones Apostolorum, aut omnes, aut aliquos ab Hippolyto scriptos esse jam pridem viri docti suspicati sunt. ²⁾ Quae conjectura iis omnibus probabitur, qui „philosophumena“ nuper reperta, Hippolyti esse agnoscunt. Hujus enim libri auctor, S. Callisti papae aemulus et adversarius, simili severitate mores Christianorum servare studuit, qua auctor Constitutionum Apostolicarum illecebras ethnicae odio implacabili prosequitur. Quomodo factum sit, ut non modo gladiatores, scenici, augures, sed etiam venatores, aurigae, a baptismate et ecclesiae communiione arcerentur, vix explicari poterit, nisi tum e ratione temporum perditorum Caracallae Macrini et Eliogabali, tum ex stoica austeritate Hippolyti vel similis doctoris Christiani.

Hippolytum Romanum non modo varia eruditione sed etiam austeritate quadam excelluisse, inde apparet, quod, quamquam Novato antiquior esset, tamen inter Novatianos a posterioribus annumeratur. ³⁾

1) Didascalia Syriaca ad tempus papae Cornelii et imperatoris Decii refertur in Cod. Lagardii (Didascalia Apostolorum p. III).

2) (Simeonis de Magistris) Acta Martyrum ad Ostia Tiberina Romae 1795 p. 134 seqq.: „Mansit vero incorruptum Hippolyti nomen octavo libro . . . sive quia is liber aliquando primus fuit, sive quia a caeteris avulsus, Hippolyti nomen tantummodo retinuit.“

3) Aurelius Clemens Prudentius Hippolytum, cum jam martyrio proximus esset, a Novati erroribus respuisse dicit:

Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati

Presbyter attigerat, nostra sequenda negans

Usque ad martyrii propectum insigne, tulisse

Lucida sanguinei praemia supplicii.

Nec mirere senem perversi dogmatis olim

Munere ditatum catholicae fidei.

Peristephanon XI. v. 29 seqq. Ed. Dressel, p. 442.

Praecursor quidem Novati forsitan fuisse potest. Ideo libri ejus, quamquam essent utilissimi, tamen oblivioni traditi sunt et constitutiones Apostolorum, quibus de Novatiano pietismo aliquid aspersum esse videtur, Concilium Constantinopolitanum II. proscripsit. ¹⁾

Attamen aliae etiam rationes afferri possunt, cur Occidentales scripta Hippolyti negligerent. Scripsit enim Hippolytus lingua graeca, graece et tituli librorum ejus cathedrae notissimae insculpti sunt, graecis literis canon paschalis ibidem legitur. Conjectura auguror, adventitium Romae fuisse, forsitan Alexandriae advectum, ubi eodem tempore amicus ejus intimus, Origines vivebat.

Accedit, quod, quamquam morum severitate aequae ac doctrina excelleret, tamen post mortem Zephyrini papae ab ambitione non alienus mansisse videtur. Ex eo libro philosophumenorum, qui ante paucos annos detectus, ipsi Hippolyto a plurimis, iisque gravissimas scriptoribus tribuitur, effici posse videtur, Hippolytum fuisse aemulum S. Callisti et primum Antipapam egisse. ²⁾ Cujus dissidii reus, quamquam martyrio maculam diluerit, quomodo apud Romanos minus aestimatus sit, quam apud Orientales, quilibet videre potest.

VIII. Non reticendum est, quaedam in his canonibus occurrere, quae aut disciplinae veteris ecclesiae, aut Hippolyti doctrinae certioribus monumentis notae, adversari videantur. Huc ea pertinent, quae canone septimo de subdiacono caelibe statuuntur. Clericos caelibes auctori non reverendos esse propter continentiam, sed potius in suspensionem incontinentiae revocandos, ostendit. Conjugati igitur clerici ipsi magis approbari videntur quam caelibes, cui opinioni consonat appendix canonis octavi: „Sacerdos, cujus uxor peperit, non segregetur.“

1) Concil. Quinisextum (Trullanum II) can. II. ed. Bruns p. 36.

2) Cf. Döllinger, Hippolytus p. 102 seqq.

Auctor philosophorum Callistum ideo severe vituperat, ¹⁾ quod bigamos ad diaconatus vel presbyteratus ordines proveheret.

Quae difficultas nescio, an sic componi possit, ut idem Hippolytus contra bigamiam severus, unico matrimonio fuisse credatur.

Deinde suspicionem recentioris aetatis movere potest, quod (can. 3) quaedam fragmenta liturgiae afferuntur, quae ad anaphoram St. Marci pertinere videntur.

Norunt liturgici, originem et aetatem illius anaphorae incertam esse, neque probari posse, Coptos illa usos esse. Aequè incertum est, quo genere anaphorarum Graeci, saeculo secundo finiente, tertioque incipiente, Romae usi sint. Ex ea, quae inter Hippolytum et Originem intercessit necessitudine, suspicari licet, Hippolytum ab usu Alexandrino non fuisse alienum. Forsitan et ipse in Aegypto natus, Alexandrinam eruditionem et liturgiam Romam attulit. ²⁾

Si (catechumenus) est servus domini idololatrae, invito domino non baptizetur; contentus esto, quod Christianus est. Quodsi moritur necdum ad sacramenta admissus, a caetero (fidelium) grege non separetur.

XI. *Canon undecimus de iis, qui imagines deorum sive pictoria arte sive sculptura conficiunt.*

Omnis artifex noverit, sibi non licere omnino idolum vel aliquam figuram idololatricam effigere, sive ex argento figura fiat sive picturâ. Si quis autem artifex post baptismum receptum inveniatur, qui ejusmodi rem confecerit, exceptis iis rebus, quae ad usum hominum pertinent, excommunicetur, donec poenitentiam agat.

XII. Canon duodecimus de reprobatione quorundam operum, propter quae quis a communione arcendus est, donec poenitentiam agat.

Omnis scenicus, vel gladiator vel qui exercet vel docet saltationis (scenicae) artem, vel qui ludit coram Olympicis (?) vel qui docet augurium, vel incantationem (serpentum) vel divinationem ex signis, vel bestiarius (qui cum bestiis ad oblectationem plebis pugnat), vel Idolis sacrificans, — hi omnes non admittuntur ad homilias sacras, nisi prius ab illis immundis operibus purgentur. Post (probationem) quadraginta dierum participes fiunt homiliae. Si dignos sese exhibent, etiam ad baptismum admittuntur. Catecheta autem ecclesiae de his rebus referat (ad episcopum). Grammaticus, qui parvos pueros instruit, si aliam artem non novit, qua victum quaerat, vituperet quandocunque in iis, quos instruit, aliquid (vituperandum) apparct, et sincere confiteatur eos, qui a Gentilibus Dii vocantur, daemones esse, dicatque coram illis (discipulis suis) quotidie: Non est Deus, nisi Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si autem discipulos suos omnes docere potest potissimam partem orationis dominicae (?) vel si potest ulterius progressus docere eos fidem veram, hoc illi magno erit merito.

XIII. Canon decimus tertius de potestate et militibus qui omnino arcendi sunt.

Civis (pr. homo), vel miles, qui accipit (ab imperatore) potestatem occidendi, nunquam recipiatur omnino. Qui vero — cum essent milites — jussi sunt pugnare, caeterum autem ab omni mala loquela abstinuerunt, neque coronas capitibus imposuerunt signum autem adepti sunt (recipiuntur). Omnis autem homo, qui ad gradum praefecturae vel prae-

cedentiae vel potestatis elevatus, ornamento justitiae, quod est secundum Evangelium, non induitur, hic a grege (fidelium) segregetur, Episcopusque coram illo ne oret.

XIV. Canon decimus quartus.

Christianus non fiat propria voluntate miles, nisi sit coactus a duce. Habeat gladium, caveat tamen, ne criminis sanguinis effusi fiat reus. Si compertum est, sanguinem ab eo esse effusum, a participatione mysteriorum abstineat, nisi forte singulari conversione morum cum lacrimis et planctu correctus erit. Attamen ejus oblatio non sit ficta sed cum timore Dei.

XV. Canon decimus quintus de quibusdam operibus illicitis.

Fornicator, vel qui quaestum ex fornicatione quaerit, vel cinaedus, imprimis autem, qui mendacia dicit, deinde singuli socordes et vitiose inertes, vel asotus (?), vel magi vel astrologi, harioli, somniorum interpretes, praestigiatore, concitatores, qui plebem ad turbas seditioesque commonent, vel qui phylacteria conficiunt, usurarii, injuriosi, vel amatores mundi, qui juramentis delectantur, qui conviciis circumquaque homines carpit, vel foeneratur, vel homines contemnit, vel horas diesque (superstitiose) praeeligit (asseverans), quasdam esse infaustas, hi omnes et qui similes sunt his, neque ad catechumenatum neque ad baptismum admittendi sunt, donec ab omnibus talibus operibus abstineant. Trium testium asseveratione opus est, qui testentur illos ab omnibus talibus nefandis operibus jam resiluisse. Non raro enim fit, ut homines usque ad senectutem propositis suis inhaereant, nisi summa vi contendat.

Quodsi post baptismum in illa, quae significavimus, criminosa flagitia relapsi inveniuntur, ex ecclesia expellantur, donec poenitentiam egerint cum fletu, jejunio et operibus misericordiae.

XVI. Canon decimus sextus de eo, qui habet concubinam, qua spreta aliam ducere vult.

Si Christianus, postquam cum concubina speciali vixit, quae ex ipso peperit filium, illa spreta (aliam foeminam) ducere vult, est occisor hominis, nisi forte in fornicatione illam deprehenderit.

XVII. De foeminis liberis, quomodo se gerere debeant; de gravidis; de separatione virorum a foeminis. Virgines facies et capita velare debere.

Mulier libera, quae non tegit caput suum in ecclesia, quia sic forsitan maritus praecipit, crines tamen non dimittat solutos, habeat potius capillos contortos complexosque in Domo dei, neque ostendat corymbia vel tutulos crinium, quando vult participare sacramentis divinis. Ne det infantes, quos peperit, nutricibus, ipsa potius sola eos nutriat secundum officium (pr. nomen) conjugii. Caveat, ne administrationem familiae negligat, neve in aliqua re marito adversetur. Quodsi maritum prudentia et scientia superat, tantummodo omni tempore Dei recordatione fruatur. Si omnino mares scientia superat, hanc praestantiam nemini ostendat, sed potius serviat marito suo ut Domino, cogitetque de pauperibus quasi sint propinqui ipsius, simulque curam habeat oblationum (sacrarum, Communionis recipiendae) longe refugiens a mundo inani vano. Non enim

illa, quae pretiosorum lapidum et margaritarum ornamentis superbit, tam pulchra est, ut illa, quae sola sua natura et bonitate splendet.

Hujus generis mulier (caeteris foeminis quasi) inspectrix praeponenda est. (Caeterae autem) ne sint immundae neve (nimium) ament voluptatem, neve sint pronae ad risum, neve omnino loquantur in ecclesia, quia est domus dei; non est locus confabulationis, sed locus orationis in timore. Qui loquitur in ecclesia, expellatur neque illa die ad communionem mysteriorum admittatur.

Catechumenus, qui dignus est lumine (*φωτισμός* i. e. baptismus), non impediatur eum tempus.

Catecheta autem ecclesiae ille est, qui hanc quaestionem dijudicat. Quando vero catecheta quotidianum pensum catecheseos terminavit, orent (catechumeni) separati a Christianis.

Mulieres autem gravidae non participantur mysteriis, antequam purificentur. Purificatio earum de eo (partu) ita sit: Si partus est masculini sexus, XX dies, si foeminini sexus, XL dies (expectent, donec ad ecclesiam accedant).

Puerperae invitationes (ad prandia lauta) omittant, orationi potius studeant pro salute infantium, quos conceperunt; quodsi ante purificationem ecclesiam frequentare desiderant, orent cum catechumenis, qui necdum sunt recepti neque digni habiti sunt, qui cum coetu (fidelium) commisceantur.

Mulieres sint separatae in loco, ad quem viri omnino non admittuntur. Catecheta autem imponat catechumenis manum, antequam curam illis impendat. Juniores foeminae virgines, quando tempus adest, quo ad gradum mulierum evehuntur, capita sua velent sicut mulieres grandiores, peplis vel palliis suis, neque tamen tenui panno utantur.

XVIII. Canon decimus octavus. Iterum de puerperis.

Mulier, quae peperit, stet extra locum sacrum quadraginta dies, si infans est masculus, octoginta si est puella. Si intrat in ecclesiam, oret cum catechumenis et gravidis, hoc fiat, ne per totam vitam foris stare cogantur.

XIX. Canon undevicesimus de catechumenis et de ordine Baptismi et Missae.

1. Catechumenus, qui (ab infidelibus) captus et ad martyrium perductus necatusque est, priusquam baptismum reciperet, cum caeteris martyribus sepeliatur, est enim baptizatus proprio sanguine.

2. Catechumenus Baptismo initiandus, si ab iis, qui eum adducunt, bono testimonio commendatur, (si inprimis constat), eum illo tempore, quo catechesi instruebatur, infirmos visitasse, et debiles sustentasse seque ab omni perverso sermone custodisse, laudes (deo) cecinisse, admittatur, inquiratur tamen praeterea, num oderit vanam gloriam, num contemnat superbiam, sibi que eligat humilitatem.

3. Deinde confiteatur Episcopo, huic enim soli de ipso est impositum onus (responsabilitatis), ut Episcopus eum adprobet dignumque habeat, qui fruatur sacramentis, jam enim factus est purus in veritate.

4. Postea legatur super eum Evangelium illius temporis et aliquoties interrogetur ita: Nonne es duplicis cordis, vel aliqua causa litigiosa te disturbat? Non enim licet, ut aliquis regno coelorum illudat, quando enim advenit (illud regnum), ex omnibus cordibus eorum pellit (quae contraria sunt fidei et bonis moribus).

5. Qui autem baptizandi sunt, feria quinta hebdomadis laventur aqua (communi) et reficiantur. Feria autem sexta

jejunent. Mulier autem catechumena, cui impuritas accidit, illa vice non baptizetur, sed ad aliud tempus differatur, quo pura erit.

6. Die autem sabbati Episcopus convocet eos, qui baptizandi sunt, et postquam genuflexi ad orientem facies converterunt, manus super eos expandat recitans (exorcismum), ut malignum Spiritum ab omnibus membris eorum expellat. Ipsi vero caveant, ne abhinc operibus suis ad illos (spiritus malignos) actibus suis revertantur. Postquam autem finivit adjurationes eorum, in facis eorum sufflet signetque pectora et frontes, aures et ora eorum (signo crucis). Ipsi autem (catechumeni) illa nocte vigiliis agant sacris sermonibus et orationibus occupati.

7. Circa gallicinium autem consistant prope undas piscinae aquae purae benedictione paratae. (Patrini,) qui pro parvis in fontibus respondent, exuant eos vestimentis suis; qui tamen jam valent, ipsi soli hoc genere praeparationis occupentur. Mulieres autem omnes habeant alias foeminas comites, quae vestibus illas exuant. Mulieres deponant ornamenta et aurea et caetera. Solvant crinium nodos, ne cum illis descendat in aquam regenerationis quidquam peregrinum de spiritibus peregrinis.

8. Episcopus autem oret super oleo exorcismi illudque tradat sacerdoti. Deinde oret super oleo unctionis (chrismatis,) quod est oleum gratiarum actionis, hocque alii sacerdoti tradat. Ille autem, qui oleum exorcismi manu tenet, a sinistra Episcopi stet, qui autem chrismatis oleum tenet, stet a dextra Episcopi.

9. Qui autem intingitur (catechumenus,) facie ad occidentem versa dicat ita: Abrenuncio tibi o Satana cum omni pompa tua. Ubi autem haec dixit, sacerdos ungat eum oleo exorcismi super quo prius oraverat, ut recedat ab eo spiritus malignus. Deinde sacerdoti, qui super aqua stat,

illud tradit, sacerdosque (diaconi munere fungens) prehensa manu ejus dextera, vertit faciem ejus ad orientem.

10. Antequam in aquam descendat, facie ad orientem conversa stans super aquas, ita dicit, postquam oleum exorcismi nactus est: Ego credo, meque inclino coram te et coram tota militia tua (coelesti i. e. coram angelis et sanctis) o Pater et Fili et Spiritus sancte.

11. Tunc descendat in aquam, sacerdos autem manum suam capiti ejus imponat eumque interroget his verbis: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Baptizandus respondens: Ego credo, prima vice inmergitur aquae, dum sacerdos manum capiti ejus impositam relinquit. Altera vice eum his verbis interrogat: Credisne in Jesum Christum filium Dei, quem peperit Maria virgo ex Spiritu sancto, qui venit ad salvandum genus humanum, qui crucifixus est pro nobis tempore Pilati Pontii, qui mortuus est et surrexit a mortuis tertia die et ascendit ad coelos, sedetque ad dexteram patris, et veniet judicaturus vivos et mortuos? Respondens: Ego credo, altera vice inmergitur aquae.

Interrogatur autem tertio: Credisne in Spiritum sanctum paraclitum procedentem a Patre Filioque? Respondens: „Credo“, inmergitur aquae tertio. Singulis vicibus autem dicit (sacerdos baptizans): Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, qui aequalis est (Patri et Filio).

12. Ubi ex aqua ascendit, sacerdos oleo gratiarum actionis, quod tenet, signat frontem et os et pectus ejus signo crucis, ungitque totum corpus ejus et caput et faciem ejus dicens: Ego te ungo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Deinde panno eum abstergit caute et vestibus indutum in ecclesiam introducit.

13. Ibi Episcopus manum suam imponens omnibus, qui baptizati sunt, his verbis orat: „Benedicimus Tibi omnipotens Deus, quia hos dignos reddidisti, qui iterum

nascerentur quibusque Spiritum tuum sanctum effundendo communicares, ut jam uniti sint corpori Ecclesiae nunquam separandi operibus alienis. Da potius, quibus jam dedisti remissionem peccatorum, etiam arrhabonem regni tui per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem Tibi cum Ipso et cum Spiritu sancto gloria in saecula saeculorum. Amen. Deinde signat frontes eorum signo charitatis osculaturque eos dicens: Dominus vobiscum. Baptizati respondent: Et cum spiritu tuo. Sic in singulis, qui baptizati sunt facit.

14. Jam cum toto populo (fideles) orant, qui (fideles) eos osculentur gaudentes propter eos cum jubilatione.

15. Deinde diaconus Missae caeremonias incipit, Episcopus autem defert reliquias mysterii corporis et sanguinis Domini nostri; quando autem finivit, communicat populum stans ad mensam corporis et sanguinis Domini. (Communio autem fit hoc modo.) Presbyteri portant Calices sanguinis Christi et alios calices lactis et mellis, ut doceant eos, qui participes fiunt (qui lacte et melle vescuntur), iterum senatos esse, ut parvuli, quia parvuli vescuntur lacte et melle. Presbyteris non praesentibus (ad portandos istos calices) apportentur a diaconis. Deinde porrigat illis Episcopus de corpore Christi dicens: Hoc est corpus Christi; illi vero dicant: Amen. (Simili modo) quibus calix porrigitur, respondeant: Amen, postquam (porrigens) dixit: „Hic est sanguis Christi.“

Postea autem sumunt lac et mel in memoriam saeculi futuri et dulcedinis bonorum, quae illis signis annuuntur, ita ut non redeant ad amaritudinem neque dissipentur. Jam vero fiunt Christiani perfecti, qui fruuntur Corpore Christi et haereditate accipiunt sapientiam, qua illustrentur morès eorum virtutibus, non tantummodo coram se ipsis, sed etiam coram omnibus gentibus, quae non sine invidia admirabuntur

profectum eorum, qui gloriantur, ipsorum mores superiores et praestantiores esse moribus caeterorum hominum.

16. Ii vero, qui baptizantur, cum caeteris, qui illorum jejunio sunt adstricti, nihil gustabunt, antequam sumserint de corpore Christi; quod si negligenter, non aestimaretur jejunium, sed peccatum.

Si (huic legi) contrarians ante communionem Corporis aliquid sumserit, contrariatur Deo eumque contemnit. Finita autem missa conceditur illi, ut edat quod vult.

17. Omnes autem catechumeni congregentur, ut illis sufficiat catecheta unus, qui illos sufficienter instruat, (discant) orare et flectere genua, neque gustent quidquam antequam ii, qui baptizati sunt, communionem corporis et sanguinis finierint.

XX. Canon vigesimus de jejunio feriae quartae et sextae et quadragesimae.

Diebus jejunii, qui sunt suis nominibus distinctis feria quarta et sexta (singulis hebdomadibus) et quadraginta (dies ante pascha quolibet anno, quilibet jejunet), qui autem alia jejunia superaddit ad haec (tempora), mercedem acquirat, qui autem huic (legi) adversatur neque morbo, neque infortunio vel necessitate excusatus, extra canonem versatur Deoque ipsi adversatur, qui pro nobis jejunavit.

Catechumenis autem curante Episcopo mittatur panis benedictione purgatus, ut, illo vescentes, ecclesiae associantur.

XXI. Canon vigesimus primus de quotidiano coetu sacerdotum et populi in ecclesia.

Congregentur quotidie in ecclesia sacerdotes et subdiaconi et lectores omnisque populus tempore gallicinii, vacent-

que orationi, psalmodum recitationi et lectioni scripturarum cum orationibus secundum mandatum apostolorum: Dum venio, attende lectioni (1 Timoth. 4, 13.). Clerici autem, qui convenire negligunt, neque morbo neque itinere impediti, separentur. Caeterum, quod ad infirmos pertinet, medicina ipsis in eo posita est, ut frequentent ecclesiam, ut fruantur oratione; excepto eo, qui morbo periculoso laborat, talis a clericis visitetur quotidie, qui de eo certiore reddant (Episcopum).

XXII. Canon vigesimus secundus de hebdomade paschali secundum Judaeos, de vitanda laetitia, de cibis illa hebdomade licitis, de iis denique, qui in itinere ignorant tempus paschale.

Hebdomas, qua Judaei Pascha agunt, ab omni populo summo cum studio observetur, caveantque inprimis, ut illis diebus jejuni maneant ab omni cupiditate, ita ut etiam ab omni sermone hilariore abstineant; tristitia in sermone appareat, quia norunt, Dominum universi impassibilem pro nobis passum esse eo tempore, ut nos patientes toleremus dolores, quibus liberari possimus illis tormentis, quae propter peccata nostra meruimus; utque etiam participes facti dolorum, quos pro nobis suscepit, participes simus regni ejus.

Cibus autem, qui paschali tempori convenit, est panis cum solo sale et aqua.

Si quis morbo affectus est vel ruri vitam agit, ubi Christianos non novit, ita ut tempore paschali (hebdomade sancta) laetitiae se permittat, ignorans sacri temporis terminum, vel si morbo extremo coactus erat (ut omitteret observationem jejunii): hi omnes jejunent post Pentecostem et paschale jejunium religiose observent, ut appareat, eorum intimam intentionem non eam fuisse, ut abjecto timore neg-

lecto jejunio proprium sibi constituerent pascha, ponentes fundamentum aliud ac illud, quod positum est. (1 Cor. 3, 11).

XXIII. Canon vigesimus tertius, de doctrina, illam esse ampliores mari et acquisitionem ejus multo studio fieri.

Fratres nostri Episcopi in suis civitatibus (dioecesibus) singula quaeque secundum mandata Apostolorum patrum nostrorum disposuerunt, quae omnia propter defectum officii nostri commemorare non possumus. Posteriores nostri caveant, ne illa (statuta apostolica) immutent, dicit enim (autor) de doctrina, illam esse ampliores mari, sine fine; magno igitur studio contendamus, ut acquiramus doctrinam secundum varias species, quam ubi invenimus recipiamus.

XXIV. Canon vigesimus quartus de visitandis ab Episcopo infirmis. Aegrotos, qui habent domum, in eandem redire debere, ubi preces in ecclesia dixerint.

Sit diaconus qui Episcopum comitetur omni tempore illique indicet singulos infirmos; magna enim res (magna consolatio) est infirmo a principe sacerdotum visitari; (non raro) reconvalescit a morbo, quando Episcopus ad eum venit, imprimis, si super eo orat; quia umbra Petri sanavit infirmos (Act. 5, 15.).

Quando vero jam adeo exhaustae (sunt vires aegrotantis), ut immineat ultima dies, infirmi non exponantur, ut in coemeterio dormiant, sed apud pauperes. Qui autem propriam domum habet, quando infirmatur, non transferatur in ecclesiam, sed oret tantummodo in ecclesia, tunc redeat in domum suam.

*XXV. Canon vigesimus quintus. De procuratore infirmorum
Episcopali et de temporibus orationis.*

Procurator ille est, cui cura infirmorum committitur. Episcopus autem enutriat illos, et singula, usque ad vasa fictilia, quibus opus est infirmis, procuratori tradat.

Omnes, qui ad ordinem Christianorum pertinent, primum eo tempore orent, quo a somno surgunt matutino. Quando autem orare volunt, manus suas lavent. Idem faciant ante singula quaeque opera. Orent etiam tertia hora, quia illo tempore Salvator voluntarie crucifixus est ad salvandos nos, ut nobis libertatem tribueret.

Deinde etiam hora sexta orent, quia illa hora universa creatura perturbata est propter facinus scelestum a Judaeis perpetratum. Hora nona iterum orent, quia illa hora Christus oravit et tradidit spiritum suum in manus Patris sui. Etiam hora, qua sol occidit, orent, quia est completio diei. Deinde etiam vespere (graece: Lychnicon) orent, quia David dicit: Nocte meditor (Ps. 76, 7. ?) Deinde etiam media nocte orent, quia David idem fecit (Psalm. 118, 62.) Paulus autem et Silas oraverunt media nocte et laudaverunt Deum. (Act. 16, 28.)

*XXVI. Canon vigesimus sextus de audiendo verbo (divino)
in ecclesia et de oratione in ipsa.*

Si praeparatur conventus festivus propter verbum Dei, singuli quique cum festinatione properent, ut ad illud (audiendum) congregentur, sciantque, multo magis esse illis eligendum, ut audiant Verbum dei, quam ut fruantur omni splendore hujus mundi et hoc sibi magnum damnum esse aestiment (pr. numerent), si aliquando necessitas eos impedit, quominus audiant verbum dei. Studeant vero, ut

saepe negotiis expediti in ecclesia conveniant, fortiterque invidiam inimici expellant, imprimis si aliquis literas novit. Tanto plus lucrabitur, si audit, quod non noverat, dominus enim adest in loco, ubi majestatis (divinae) memoria agitur, descenditque spiritus in congregatos gratiamque suam effundit super omnes. Qui autem est duplicis cordis homo inter eos, in caeteros sese reclinet, quia audisti, eos stabiles esse in Spiritu. (Philipp. I. 27. ?) Qui autem domi commovetur a ratione, ii tamen id non assequuntur, quod in ecclesia audirent.

Unusquisque igitur summo studio contendat, ut ecclesiam frequentet, omnibus temporibus, quibus in ea fiunt preces.

XXVII. Canon vigesimus septimus. Praecipitur, ut is, qui non quotidie ecclesiam adit, tamen lectioni bibliorum vacet, adjungitur excitatio ad preces effundendas media nocte et tempore gallicinii, simul ad lavandas manus tempore omnium orationum.

Quocunque die quis ad ecclesiam non accedit, sumat librum, ut legat in eo. Sol conspiciat matutino tempore librum super genua tua.

Christianus lavet manus omni tempore, quo orat. Qui autem alligati sunt matrimonio, quandocunque a latere uxoris surgere velint, orent; conjugium enim non maculat; neque post regenerationem novam (baptismum) opus est lavacro, excepta lotionem manuum, nihil praeterea (est agendum); quia Spiritus sanctus odoratur corpora Fidelium eaque omnia purgat. Curet igitur quilibet, ut diligenti studio oret media nocte, quia patres nostri dixerunt, illa hora omnem creaturam ad servitium gloriae divinae parari, ordines angelorum et animas justorum benedicere Deo, quia testatur Dominus

dicitque de hoc (officio nocturno): Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. (Matth. 25, 6.)

Porro etiam tempore, quo canit gallus, instituendae sunt preces in ecclesia, quia Dominus dicit: Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus sit, (sero an media nocte) an galli cantu, an mane. (Marc. 13, 35.)

Obligati sumus igitur, ut Dei recordemur omni hora. Et quando quis insomnis supra lectum positus est, debet orare in corde suo; hoc modo faciens.

Nos Christiani unacum Catechumenis invicem instruamus nosmetipsos de servitio dei; tunc diaboli non possunt contristare nos, quando in omni oratione recordamur Christi.

XXVIII. Canon vigesimus octavus. Nemini Fidelium licere, ut quicquam gustet, antequam sacra mysteria (eucharistica) sumserit, imprimis tempore jejunii sancti.

Ne gustet aliquis Fidelium quicquam, nisi antea de sacramentis sumserit, praesertim diebus jejunii. Caeterum clerici caveant cum sollicitudine, ne quemquam ad sumenda sacramenta invitent, nisi solos fideles.

XXIX. Canon vigesimus nonus. Eucharisticas oblationes supra altari sublatis bene custodiendas esse, ne quicquam in calicem sanctum incidat, neve communicantibus sacerdotibus vel fidelibus quicquam (de s. hostiis) decidat, ne spiritus malignus iis potiatur. Intra velum nil pronunciari debere, nisi orationes. Finita communionem laicorum psalmos esse recitandos loco tintinnabulorum. De signo crucis. De projiciendo pulvere Altaris in sacrarium.

Stent clerici (aliis officiis) non occupati prope Altare, quando paratum est (ad perficiendum sacrificium); unus stet

ad invigilandum, ne supervolitet musca neve cadat quicquam in calicem, unde oriatur summum crimen (propr. crimen mortis) pro sacerdotibus. Ideo unus custodiat locum sanctum. Qui autem distribuit sacramentum, quique accipiunt (communione) summa vigilantia caveant, ne quicquam in terram decadat; ne concedatur spiritui maligno potestas invadendi eum (qui hujus peccati reus est.)

Nemo intra velum aliquid loquatur, nisi preces et quae pro cultu necessaria sunt, praeterea omnino nihil. Non fiat aliquod opus in loco illo. Ubi autem sacerdotes et diaconi absolverunt communionem populi, intrent (in chorum) ad recitandum (psalmos). Omni omnino tempore, quacunque hora intraverint, propter potestates loci sancti, sint illis psalmi pro tintinnabulis, quae erant in tunica Aaronis, neque sedeat quis illo tempore, sed orent, neque aliud quicquam agant, inclinentque (transeuntes) genua et prostermentur ante altare. Pulverem autem, qui scopis converritur de loco sancto, projiciant in aquam maris undosi (i. e. in baptisterium), neque remaneat conculcandus ab hominibus, sed omni tempore purus sit (locus sanctus).

Signa (o Christiane) frontem tuam signo crucis ad vincendum Satanam et ad gloriandum propter fidem tuam. Hoc fecit Moyses de sanguine agni, quem illevit superliminaribus et postibus januarum, qua re factum est, ut sanarentur habitantes intra illa; quanto magis purificabit et custodiet sanguis Christi eos, qui credunt in eum et effingunt redemptionis totius orbis terrarum similitudinem, quae similitudo sanguine agni perfecti sc. Christi intendit omnia sacramenta propter vitam et resurrectionem et sacrificium. Christiani autem soli audiunt haec, quia sigillum Baptismatis acceperunt, sunt enim in societatem recepti.

XXX. Canon trigesimus. De catechumenis et (de quibusdam rebus), quae ad eos pertinent.

Catechumeni audiant instructionem, quae ad fidem pertinet, et magnam doctrinam tantum (nihil profanum). (Catechumenus) propinquos consanguineos suos a se avertat omniaque incommoda toleret, quae ipsum invadunt propter religionem et tollat crucem suam, sequens Salvatorem, sitque paratus ad perpetiendam mortem propter professionem Christi; effugium enim non relinquitur, quominus homo, qui perfectionem quaerit, tentetur, sicut tentatus est Dominus noster his tribus tentationibus, scilicet cupiditate, superbia et avaritia (pr. amore auri). Tentator enim salvatorem nostrum jejunantem sua fallacia aggressus dixit: Si tu es filius dei, dic, ut lapis ille fiat panis. Tu igitur etiam o asceta, si proprio motu jejunium tibi elegisti, cave tibi, ne admittas cogitationes ejus (sc. a tentatore inspiratas), suadebit enim tibi, ut infringas devotionis tuae propositum, inprimis si est jejunium lege praescriptum, responde ipse tuis ipsius cogitationibus simili modo dicens, ut Dominus tuus: non solo pane vivit homo, sed omni verbo, quod procedit ex ore dei.

Caeterum hoc verbum: „Ut hic lapis fiat panis“ suam propriam habet allegoriam; qui enim amant thesauros, errant et ita (studia sua) componunt, ut dici possit, lapides esse thesauros, amant enim thesauros, qui fiunt stercora; (sensim sensimque) ita afficiuntur, ut putent, inde sibi vitam parari, quasi pane. Quare subit animum memoria effati Domini quo dicit: Quando multiplicati sunt thesauri hominis, tamen vitam suam non invenit in eis.

Nolite igitur amare argentum o amatores Dei, radix enim omnium malorum in amore pecuniae est; vitamque vestram agite sine sollicitudine, dicit enim (Apostolus 1 Timoth. 6, 8.): Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. Audi igitur, quae suadet beatus David

(Ps. 54, 23.): *Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet; inprimis autem Petrum apostolum (audi) dicentem (1 Petr. 5, 7.): Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Ubi autem Adversarius videt, hominem ita invalescere (et ad sublimiores virtutes progredi), secundo genere tentationis eum aggreditur. Constituit enim eum in pinnaculo templi, i. e. in magna perfectione virtutum. Quod ubi factum est, suadet animo, ut omne studium virtutis abjiciat, quod significatur eo consilio, ut ex illo (alto pinnaculo) sedet praecipitem. Dicit enim (tentator) homini: Virtus nimis ardua est, neque poteris sufferre laborem pro tota terra. Itaque impedit eum, quominus recordetur Salvatoris, qui dicit: Nolite solliciti esse in crastinum (Matth. 6, 34). De omni enim, qui per Diabolum ad virtutem elevatur (id valet), quod dicit (scriptura), eum adductum esse in civitatem sanctam. Attamen non perseverant, quia virtutes non acquisierunt propter Deum, sed propter vanam gloriam, quae est serpens, et solummodo, ut honorentur ab hominibus. Illi postea praecipitantur ad ima a pinnaculo templi et interiora eorum disrumpuntur et foris apparent, quae interius abscondebantur, et fit irrita major pars eorum, quae (bene) egerunt illi. Igitur ea hora, qua foedere quodam coram deo se obstringit homo (ad perfectionis studium) atque etiam postea, caveat summo studio, ne decidat in id, quod scriptum est: Ne tentes Dominum deum tuum (Deut. 6, 16.) Nisi enim homo vigilet, omnique hora perseveret in continua recordatione dei, in Idololatriam delabitur, neque tamen scire solet homo qualis sit illa Idololatria, sed cogitationibus suis tantummodo id revolvit, se esse praelectum seque esse meliorem, quam caeteri homines. Haec autem est superbia foeda coram Deo. Quando diabolus persuadet alicui, se esse meliorem caeteris hominibus omnibus, revera id ab eo jam impetravit, ut prostratus adoret se, ignorans vocem Domini, qua dicit

(Math. 11, 29.): Quia mitis sum et humilis corde. Neque intelligit vocem (domini, qua) dicit: (Deut. 6, 13.) Dominum deum tuum adorabis et illi soli servies. Propter quod carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura (1 Cor. 10, 14. 1 Joh. 5, 21.), quae est superbia. Et amemus alter alterum invicem, amemus etiam peregrinos, amemus doctrinam fugiamusque ab omni socio malo, ad servos autem dei celeriter curramus et libenter cum iis festa agamus secundum id, quod dixit quondam Aravaka (Abigail) ad Davidem (1 Sam. 25, 41): Ecce famula tua parata sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. Lavemus igitur et nos pedes sanctorum (1 Tim. 5, 10.), ut audiamus eum, qui major est Davide, Jesum Christum Dominum nostrum (angeli habent suas stationes), qui amat omnem summo studio observantem mandata ejus, ita dicentem: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. (Math. 24, 23.) Futurum est revera, ut dicat unicuique nostrum, qui congregati sumus in nomine ejus: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me, nudus et cooperuistis me, infirmus et visitastis me, in carcere eram et visitastis me; pergit: Tunc respondebunt ei justi dicentes: quando te vidimus esurientem et pavimus te et caetera, quae post haec sequuntur, fecimus tibi? Et respondens dicet: Revera dico vobis: quicquid feceritis alicui ex his pusillis, hoc mihi fecistis. (Matth. 25, 40.) Cujus autem opus et studium vigilantia non custoditur, id incendio delebitur, quia vitam non habet in virtute, sed est mortuum in perversitate; illique ipsi furno destinati sunt, i. e. ludibrio erunt diabolo, qui primo (in baptismo) ore suo dixerunt: Renuncio tibi o Satana, jam vero operibus suis malis ad eum recurrunt. Revera autem Diabolus non valde gaudere videtur de iis,

qui cum ipso sunt et ad eum pertinent, sicut illi, qui corpore quidem nobiscum sunt, animabus autem cum illo.

De his dixit apostolus (Tit. 1, 16.): confitentur se nosse deum, factis autem negant; de iisdemque in proverbii dicitur (Prov. 26, 11.) — est — sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat peccata sua. Beatus autem Petrus de iis dicit: Esse similes porco, qui postquam lotus est, volutatur in coeno suo (2 Petr. 2, 22. cf. Prov. 26, 11.).

Et hujus quidem generis non pauci sunt; (non raro enim fit), ut dicat quis coram deo: Equidem omnem voluntatem tuam faciam, sed simul malis suis intentionibus etiam ad servitatem diaboli convertitur. Similis est militi, qui accipit quidem vestitum militarem (insignia militaria), neque tamen ipsi curae est res et vestis militaris, sed ignominia afficitur detectis criminibus, et quamvis se ipsum solus nominet militem, nihil nisi externam formam militiae habet, qua indutus est, quaque fit, ut (hoc nomen) sibi arrogare possit. Sic quidam ipsi gloriantur, se Christianos esse, neque tamen operibus induti sunt, nominantur et a Deo et ab hominibus daemones, non enim oderunt opera Satanae, sed ipsis infixi sunt. Tales igitur hic (in vita terrestri) nomen eorum (diabolorum) nanciscuntur, et in altero loco (in vita aeterna) sortis eorum fiunt participes, dicet enim iis Salvator illa die (Matth. 25, 41.): Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Quomodo enim opera ejus amaverunt super terram, et illi associati manebant per vitam suam, sic etiam illi associati erunt in inferno, si mortui erunt in suis immundis intentionibus.

Decet enim Christianum, ut ambulet in mandatis Christi assimilatus Deo, sicut filii dilecti assimilantur in omni re Christo. Neque enim blasphemant, neque scortantur, neque sunt irrisores, neque obtrectatores, non vitiose vivunt cum otiosis mulieribus, a mendaciis sunt alieni, non cupiunt ea,

quae pereunt, non sunt contumaces, neque amatores venti, neque iracundiam adversus aliquem retinent, non sunt murmurantes, neque judicant res alienas (peregrinas), neque dispertiunt patrimonia sua ad negotia, in quibus nulla salus, neque perficiunt ea, quae legi non consonant, neque abjiciunt misericordiam, falsum testimonium non pronunciant, neque voraces, neque bibuli, neque cupidi, neque amatores mundi, neque amatores mulierum sunt, sed uni conjugii rito matrimonio juncti, non invidiosi, non negligentes in frequentandis ecclesiis, filios suos educant in timore dei, neque fugiunt a persecutionibus. Lectioni et meditationi (verbi dei), quod (in ecclesia) audierunt, incumbunt, ab injuriis abstinent, manus eorum non sunt celeres ad percutiendum, celeriter autem solvunt aes alienum, ne propter eos blasphemetur nomen Domini. Non sunt pigri, non obliviscuntur indigentium, qui ab iis expetunt (adjumenta), non divulgant secreta sibi concredita, terminos non transferunt, usuram non captant, sunt potius amatores peregrinorum, contumelia non afficiunt eos, qui e longinquo veniunt, sed in numero filiorum suorum eos habent, non sunt difficiles in dando et accipiendo (in commercio non ea iniquitate utuntur, ut justo plus accipiant, justo minus dent), duplici mensura ad librandum et metiendum non utuntur, neque cunctanter et negliger agunt in perceptione s. communionis et in adorationibus. Juramenta omnino non adhibent, neque cum alienis familiariter vivunt, deo servientes et opera (mandata ejus) perficientes, mandatum evangelii non transgrediuntur, quod annunciatum est omni creaturae, quae sub coelo est.

Christianus, qui in his omnibus perseverat, ipsius Christi imaginem refert, lucebitque ad dexteram ejus sicut angeli et ab illo nanciscetur coronam gloriae, sicut obtinuit coronam virtutis, nobilissimam perfectionem et custodiam fidei. Obtinebunt (tales) coronam vitae, quae promissa est amicis ejus.

Si autem Christianus ad gradum regni (caelestis) aspirat, a mulieribus longe omnino recedat et firmiter in corde suo sibi proponat, se non aspecturum esse illas, neque cibum cum illis sumturum.

Sine cunctatione omnes thesauros suos distribuat pauperibus, sibi que assumat angelicam benignitatem, cum humilitate cordis et corporis, sufficiatque sibi ipse solus, similis sit aviculae, quae armis caret; largiatur indigentibus de labore suo.

Communiones, orationem multam cum jejuniis amet. Hic est lapis pretiosus, quem teste Joanne (Apocol. 2, 17.) nemo novit, nisi qui accepit eum.

Die dominica Episcopus tempore Missae, si potest, sua manu distribuat communionem omni populo; si sacerdos infirmus est, diaconus afferat illi sacramentum et sacerdos solus accipiat illud.

XXXI. Canon trigesimus primus. De Episcopo, vel sacerdote, qui diacono praecipunt, ut communionem distribuat.

Diaconus autem populo communionem distribuat, si Episcopus aut sacerdos hoc permittit.

XXXII. Canon trigesimus secundus. Virgines et viduas jejuniis et orationi in ecclesia vacare debere, clericos suo arbitrio jejungere posse, Episcopum jejuniis non debere sese obstringere, nisi cum clero propter Agapen vel vigiliam, quae fiunt ad commodum pauperum.

Virginum et viduarum est, ut saepe jejunent et orent in ecclesia; clericis libera sit facultas voluntarie jejunandi; Episcopus autem jejuniis non se obstringat, nisi clerus cum ipso jejunet.

Si quis autem s. communionem sumere (pr. facere) intendit, quo tempore sacerdos in ecclesia non adest, diaconus loco ejus fungatur in omnibus rebus, cum exceptione solius oblationis sacrificii magni, et orationis. Si distribuitur communio, distribuatur etiam eleemosyna pro pauperibus, haec autem dispertiatur pauperibus ante occasum solis a populo; si quid de necessario reliquum est, distribuatur altera die; et si iterum quid restat, tertia die. Ab eo autem, in cujus domo (eleemosyna distribuatur, et reliquum) asservatur, nihil (ad compensationem laboris) computetur ex iis rebus (quae traditae sunt pro pauperibus); sola misericordia eaque tota afferat ei, qui eam exhibet, computatam mercedem. Qui distribuit, nihil (inde) obtineat, quando panis pauperum diutius moratur in domo ejus per negligentiam.

Si Agape fit, vel coena ab aliquo pauperibus paratur, die dominica, tempore accensionis lucernae, praesente Episcopo surgat diaconus ad accendendum lumen, episcopus autem oret super eos (qui invitati sunt) et eum, qui invitavit illos. Pauperes autem adsint quando in initio missae Eucharistia agitur.

Missos autem faciat eos (Episcopus vel benefactor invitans), ut separatim recedant, antequam tenebrae oboriantur. Psalmos recitent, antequam recedant.

XXXIII. Canon trigesimus tertius. De commemoratione pro defunctis; interdicitur, ne fiant die dominica.

Si fiunt commemorationes pro iis, qui defuncti sunt, primum, antequam consideant, sacramenta sumant, neque tamen die dominica. Post communionem distribuatur eis panis (eulogiarum) ante solis occasum, antequam consideant. Non sedeat cum eis aliquis catechumenus in Agapis.

Edant bibantque ad satietatem, neque vero ad ebrietatem; sed in divina praesentia cum laude Dei.

XXXIV. Canon trigesimus quartus. De multiloquio et clamore vitando. De sanctis in habitacula fidelium intrantibus.

Ne quis multum loquatur neve clamet, ne forte (infideles) vos irrideant, neve sitis (pr. sint) scandalo hominibus, ita ut in contumeliam vertatur invitatio vestra, cum appareat, vos a bono ordine aberrare. Sed unusquisque continuo cum tota familia sua hunc (bonum ordinem) sibi arroget vindicetque, ut appareat modestia uniuscujusque nostrum et obtineatur magna dignitas exemplis illis, quae in nobis conspiciuntur. Oret autem quisque, ut sancti (angeli) introeant sub tectum ejus, dicit enim salvator noster: Vos estis sal terrae. (Matth. 5, 13.)

Quando autem Episcopus sermocinatur sedens, caeteri lucrum (spirituale) habebunt, neque ipse sine lucro erit.

Si autem absente Episcopo presbyter adest, omnes ad eum convertantur, quia ipse superior est caeteris in Domino, honorentque eum sicut honoratur Episcopus, neve contumaciter illi adversentur. Ipse vero distribuat panem (eulogiarum), quem frangat ante solis occasum, antequam considereant, ut deus agapen eorum praeservet a timore inimici, utque surgant salvi in bona salute.

XXXV. Canon trigesimus quintus. De diacono praesente in Agape, loco presbyteri absentis, eumque posse illius munere fungi in oratione et fractione panis benedictionis, neque tamen in corpore (domini). De viduis.

Diaconus in Agape, absente presbytero, vicem gerat presbyteri, quantum pertinet ad orationem et fractionem panis, quem invitatis distribuat. Laico autem non convenit,

ut signet panem, sed tantummodo frangat, nihil praeterea faciat. Si clericus omnino non adest, quilibet suam partem comedat cum gratiarum actione, ut videant gentes vitam vestram cum invidia (et admiratione).

Si quis viduis coenam parare vult, curet, ut habeant coenam et ut dimittantur antequam sol occidat. Si vero sunt multae, caveatur, ne fiat confusio neve impedianur, quominus ante vesperam dimittantur.

Unicuique autem earum tribuatur sufficiens cibus potusque. Sed abeant antequam nox advesperascet.

XXXVI. Canon trigesimus sextus. De primitiis fructuum terrae et primitiis arearum et torcularium, olei, mellis, lactis et lanae et similium, quae ad Episcopum deferenda sunt, qui benedictionem illis impendat.

Qui habet primitias fructuum terrae, ad Episcopum in ecclesiam eas deferat; pari modo primitias areae et primitias torcularium, olei, mellis, lactis, lanae et primitias mercedis pro labore manuum. Haec omnia deferantur ad Episcopum cum primitiis arborum. Sacerdos autem, qui illa recipit, ante omnia super illis gratias agat deo, extra velum adstante eo, qui illa attulit.

Sacerdos autem sic oret: Gratias agimus tibi omnipotens Deus, quia nos fecisti dignos, qui hos fructus videamus quos terra hoc anno produxit. Benedic eos o Domine, sicut coronam anni tui secundum benignitatem tuam (Psalm. 64, 12.), sintque ad satietatem pauperibus populi tui, (benedic) etiam servum tuum N. qui haec obtulit ex opibus tuis, quia timet te, benedic eum de coelo sancto tuo una cum domo et filiis ejus et effunde super eos misericordiam et gratiam tuam sanctam, ut sciant voluntatem tuam in omnibus et

fac, ut haereditate accipiat id, quod est in coelo, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum dilectum, et Spiritum sanctum in saecula saeculorum. Amen.

Et omnia legumina terrae, omniaque poma arborum et omnes fructus terrae (cucumerariorum), benedic ea, atque etiam eos, qui afferunt illa, benedic.

XXXVII. Canon trigesimus septimus. Episcopum quotiescunque sanctis mysteriis frui vult, diaconos et presbyteros congregare debere indutos vestimenta alba, pulchriora (vestimentis) populi. Idem de Anagnostis valet.

Quotiescunque Episcopus sacramentis frui vult, congregentur diaconi et sacerdotes apud eum, induti vestimentis albis pulchrioribus (vestitu) totius populi, potissimum autem mundis. Est tamen ab iis potius (expectandum), ut sint induti integritate, bona enim opera omnibus vestimentis praestant. Etiam Anagnostae habeant festiva indumenta sicut illi, et stent in ambone (pr. in loco lectionis) et alter alterum excipiat, donec totus populus congregetur. Postea Episcopus oret et perficiat Missam.

XXXIII. Canon trigesimus octavus. De nocte, qua surrexit Dominus noster Jesus Christus, quod omnes illam noctem vigilia peragere, deinde aqua lavari debeant. De iis, qui post baptismum peccata committunt; commentatio de hac re, sequitur commentatio de iis, quae fieri non debeant, denique de iis, quae observanda sint.

Nox resurrectionis Domini nostri Jesu Christi summo studio observanda est, est enim magna. Omnes igitur illa nocte vigilent usque ad auroram, tunc lavent corpus suum

aqua, antequam agant Pascha, omnisque populus sit in luce. Illa enim nocte salvator omni creaturae libertatem comparavit; festum igitur agunt coelestia et terrestria et omnia, quae sunt in coelo et in terra, quia resurrexit a mortuis et ascendit in coelum, sedetque ad dexteram Patris, unde venturus est in gloria Patris sui et angelorum suorum, ut retribuatur unicuique secundum opera sua. Qui bona egerunt (deputabuntur) ad resurrectionem vitae, qui male egerunt, ad resurrectionem iudicii, sicut scriptum est.

Debemus igitur vigiles esse omni tempore, non indulgentes oculis nostris dormitationem. Cavendum est, ne somnolentia nos opprimat, donec inveniamus locum domino, neve quis dicat: Equidem et baptizatus et corpore Christi (sacramentaliter) partus sum — et tali adjumento fretus — jam quietem anhelet, dicens: „Sum Christianus“, et inveniatur talis amator deliciarum, aversus a mandatis Christi. Talis similis esset homini sordibus pleno, qui in balneum quidem intravit, sed prius inde exivit quam bene defricatus esset, ita ut sordes in eo etiam postea inveniuntur. Ille enim non adhibuit exustionem spiritus, de qua loquitur beatus Paulus monens, ut simus ferventes Spiritu (Rom. 12, 11) omni tempore.

Quicumque has regulas custodierint, pax Domini super illos descendat et super omnem (populum) Israel. (Galat. 6, 16.) Inimicus nihil (in eis) lucretur, sed requiescant aliquando cum sanctis in regno Domini nostri Jesu Christi, per quem Gloria Deo Patri et Filio et Spiritui sancto et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Sitque laus deo semper et in aeternum.

Ad finem perducti sunt Canones Sancti Patriarchae Hippolyti, primi Patriarchae Urbis magnae Romae, quos composuit. Numerus autem eorum est: Triginta octo canones. Deus nos adjuvet, ut illos opere exequamur. Lausque sit deo semper, perenniter in aeternum.



Annotationes.

I. كتبها „per spiritum sanctum“ من جهة روح
vel ad كوامر referri potest. Hippolytus scripsit per spiritum
sanctum, i. e. inspiratus a Deo, quae sequuntur; vel Apostoli
instigante spiritu sancto, quae sequuntur, mandaverunt. Haec
posterior relatio praeferenda. وضعناه posuimus id, i. e.
hanc fidei et morum delineationem concepimus literisque
mandavimus. نحو الذين secundum contextum hostili modo
interpretandum est. Post بالاكتر ad augendam emphasim
in Barb. حدا scriptum est, quod cum Vat. جدا lego. Pro
جعلنا امرهم لله الدين (Barb.) in Vatic. scriptum est:
وجعلنا امرهم لله الذين ندين البرية بالعدل
quam lectionem in versione secutus sum. Barber. جعلنا امرهم لله
و جعلنا امرهم لله الذين البرية بالعذاب
commendavimus causam eorum Deo,
qui judicat (الدائن) creaturam, poenas infligendo. Formula:
„qui creavit visibilia et invisibilia“ post Nicaenum concilium
notissima, etiam priori tempore adhiberi potuit, est enim
desumta ex epistola Pauli ad Coloss. (1, 16): Quoniam in
ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et

invisibilia. Philosophatur praeterea Hippolytus in homilia contra Noëtum § 10 (ed. Lagarde) p. 51 de mundo *ἀοράτω* et *ὄρατῷ*.

II. Hic canon cum initio libri Hippolyti de ordinationibus (Fabric. p. 248 seqq.) et capite tertio libri octavi constitutionum Ap. comparandus est. Verba *يختار من كل الشعب* non de electione per totum populum, sed ex toto populo interpretanda essent, nisi res ipsa et autoritas Constitutionum aliud suaderent. *Ἐπίσκοπον . . . ὑπὸ παντὸς τοῦ λαοῦ ἐκλελεγμένον*. Convenit Hippolytus graecus. Verba *وجد بلا* obscuriora, ad virtutes pertinere videntur, quibus Episcopus ornatus esse debet. *وَجَد* „amor ingens“ omnia vitia comprehendere potest, quae ex desideriis perversis oriuntur. *الاسبوع* proprie hebdomadem significare notum est; secundum contextum et fontes graecos (Const. VIII. 3. *ἐν ἡμέρᾳ Κυριακῇ*) de die dominica sermo est. Verbum *قسم* denominativum est a *قسمة* ordo sacer, ut subdiaconatus, diaconatus etc. Idem igitur est ac „ordinare“, i. e. ad ordinem sacrum promoveri. *إِنَّا نُوَثِّرُهُ* Haec pronuntiatio voluntatis populi eligentis ad triplex quidem scrutinium, sed hic ad tertium potissimum pertinere videtur, de quo vide Ord. Hipp. Fabr. p. 249 et Const. VIII. 4. — *الأكسامولوجيڨيس* *ἐξομολόγησις* esse videtur, non quaelibet, neque sacramentalis peccatorum confessio, sed divinae gloriae professio, et propriae infirmitatis confessio, quae in praeparatoria parte liturgiae occurrit. Optime huc referri potest ea oratio liturgiae Clementinae, quae missam fidelium antecedit secundum c. 8. libri VIII. constitutionum (cf. Daniel Cod. liturg. IV,

p. 53), vel brevior oratio Liturgiae St. Marci (Ed. Renaud. Francof. 1847. I. 120. Daniel, Cod. liturg. IV. p. 138.).

Quod de episcopo et presbytero advocando in hoc canone dicitur, ex praeceptis Constitutionum l. VIII. c. 4. complendum est: „Silentioque facto unus ex primis Episcopis una cum duobus aliis prope altare stans, reliquis episcopis ac presbyteris tacite orantibus dicat ad Deum.“ Concordant Ordinationes Hippolyti apud Fabr. p. 249. Confer primum canonem Apostolorum: *Ἐπίσκοπος χειροτονεῖτω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν.*

III. Orationis sequentis initium concordat cum Constit. et ordinationibus l. c., nisi quod in Canone nostro praeter Abrahamum patriarcham etiam Adamus commemoratur. Illa pars orationis subobscura est, ubi habet textus: *الذی امر من ادم ان يدوم جنس عال من جهة الاسقف* Cum primo et ultimo loco relativum *الذی* ad ipsum Deum pertineat, difficultas oritur ex illo *الذی هو*, quod inter ambas illas relationes medium intercedit. Equidem puto, illa verba *الذی هو الكبير ابرهيم* annotationem in parenthesi positam esse, quae texturam totius contextus non alterat. In ordinationibus (Fabr. p. 249) dicitur: Qui providisti jam ab initio genus justum ex Abrahamo (oriundum) praesidesque et sacerdotes constituisti etc. *γένος δίκαιον* Cod. Vat. exprimit *جنس عادل*, Barb. genus sublime *عال* posuit.

Quae jam sequuntur, nec in Ordinationibus Hippolyti, nec in Constitutionibus extant.

Quod post orationem episcopi consecrantis consecrandus

osculo salutatur, convenit cum praecepto salutationis post consecrationem in Euchologio graeco (ed. Pinelli 1622, f. 54. a.) *εἶπα τὸν χειροτονηθέντα ἀσπάζεται ὁ χειροτονήσας καὶ οἱ λοιποὶ ἐπίσκοποι.* Diaconus quae ad sacrificium eucharisticum pertinent, i. e. panem, vinum, calicem cum caetero apparatu apportat. Haec omnia *القرايين* Barb., vel. *القربان* nominantur. Quae sequuntur vocabula graeca, in utroque codice ita sunt corrupta, ut sonum verum vix divinando assequi potuissemus, nisi quaedam voces certa vestigia praeberent. Est ea pars liturgiae St. Marci, quae praefationem antecedit. V. Renaudot, liturg. orient. collectio. t. I. ed. Francof. 1847. I. 131. Daniel, IV, p. 150. Quod in fine de oleo et fructibus benedicendis dicitur, ita intelligendum esse videtur, ut Episcopus recens consecratus, post missam completam, pontificali dignitate ad benedictionem fructuum utatur, si anni tempus hoc permittit. — De his benedictionibus canone 36. tractabitur. — Formula benedictionis olei non affertur, quamquam vox *هكذا* eam promittat. Etiam *هذه الفصول الواحدة* ad formulas liturgicas, quae non afferuntur, pertinet. *وان كانوا ليسهم* ad *الزيت* pertinens, pro singulari male positum est. Autor de pluribus olivis, (oliva singularis est *زيتونة*), quae collective *زيتون* vocantur, loqui voluisse videtur. *زَيْتٌ*, id est oleum olivarum, quodammodo multas olivas comprehendit.

IV. In inscriptione *قسمة* actum ordinationis significat; in fine canonis *القِسْمَة* est ordo ipse. Conferantur, quae in secundo libro Const. Ap. c. 27. de episcoporum presbyterorumque dignitate dicta sunt.

V. In isto canone notitia canonum, qui ad ordinationem diaconorum pertinebant, supponitur. ويعرف الاسقف ex iis interpretandum est, quae inferius c. 24 occurrunt وليعرفه لاجل واحد مريض diaconus moneat episcopum de singulis infirmis. مستورون „absconditi“, secundum contextum sunt pauperes verecundi, qui ab importunitate mendicorum alieni, tacita patientia egestatis incommoda tolerant. الآخر „reliquum“ pro reliqui.

Oratio initiationis diaconi ab ea differt, quae in l. VIII. c. 18 Constitutionum et in O. Hipp. (Fabr. p. 256) affertur. Quaedam consonare videbunt, qui utramque formulam comparaverint.

VI. De singulari hujus canonis studio, quo martyrum praestantia defenditur, in prolegomenis actum est. In fine تتلاوه, quod Vaticanus Cod. exhibet, يتلاوة „cum lectione“, „cum recitatione“ esse puto. Denominativum a لاوي „levita“ excogitari quidem posset, sed non occurrit. يتلاواه „ut levitam eum crearet“, nulla autoritate defendi potest.

VII. أئمن in utroque Codice extans, non a ائمن derivavi, sed ad امن, VIII. „pro fide habitus est“ retuli, quamquam teste Kamuso موتمن^{s-ع} de Deo potissimum edicatur, de cuius fide securi sumus. Caeterum ea, quae contra coelibes clericos hic constituuntur, suspecta sunt. De Coptarum moribus hic aliquid irrepsisse puto.

Anagnostae et Subdiaconi locus in ecclesia assignatur.

VIII. مواهب الشفاء idem esse ac *χαρίσματα ἰαμάτων*, quilibet videt. Cf. 1 Cor. XII. 28. De quorum donorum usu et abusu habemus fragmentum operis St. Hippolyti apud Fabric. p. 245. In nostris editionibus Constitutionum apostolicarum idem tractatus, octavo libro praepositus, invenitur. Ed. Migne p. 1061. Const. Apost. ed. P. A. de Lagarde 1862 p. 230 seqq. Pitra, I. p. 386 seqq. Quod de mulieribus presbyterorum adnexum est, cum canone Apost. 6. (vel 5.) concordat.

IX. ولا يقسم بعد verterem: „necdum ordinetur“, nisi contextus suaderet, vocabulo بعد significationem primitivam servare. Non ignoramus, بعد cum negatione „nondum“ esse. E. g. لَمْ تَأْتِ سَاعَتِي بَعْدُ nondum venit hora mea. Versio liturg. loci Joan. 2, 4. De iteratis ordinationibus confer Morinum de sacris ordinationibus, Assemani B. O. III. p. II. 331 seqq. Joannis Ephes. histor. eccles. I. c. 12. Versio Schönfelderii p. 9. — Hergenröther, Phot. II. 231 seqq.

X. Quod interpretati sumus: „Hoc autem observetur“ etc. ita intelligendum est, ut in ecclesia instruatür catechumenus usque ad baptismum.

الموهبة „donum“ in fine canonis eucharistia est. Cf. Hebr. 6, 4. γευσάμενους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου.

Quomodo cum servis agendum sit, qui ad Christianam religionem accedunt, secundus liber Clementis Syriacus docet. (P. 15.) Didasc. copt. p. 166.

XI. Primis ecclesiae saeculis non ignobile genus artificii artem pingendi, sculpendi et fundendi fuisse, ex copia

idolorum adhuc servatorum, cuilibet apparet. Christianis simili modo ut Judaeis (Mischnah, abodah sarah c. III.) nefas erat, idola effingere. Didascalia copt. (p. 46) non fabros, qui idola effingerent, sed sacerdotes deorum a baptismo arceat. — Simili modo Clementis liber II. syriacus (p. 16) sacerdotes idolorum proscribit. Sextus autem Clementis liber syriacus (p. 30 infra) etiam artifices arceat. Sacerdotes idolorum canone sequenti proscribuntur.

XII. Jam in prolegomenis annotavimus, cum hoc loco et Constitutiones Apostolorum et syriaca fragmenta librorum S. Clementis et Didascaliam consonare. Diataxis Hippolyti paene eadem verba exhibet, quae in Constitutionibus legimus.¹⁾

1) Ed. P. A. de Lagarde Lipsiae. Teubner 1862. Liber VIII. cap. 31. p. 268.)

*Εἰδωλοποιὸς προσιών ἢ παυσάσθω ἢ ἀποβαλλέσθω. Τῶν ἐπὶ σκηνῆς ἕάν τις προσίῃ ἀνὴρ ἢ γυνὴ ἢ ἡνίοχος ἢ μονομάχος ἢ σταδιοδρόμος ἢ λουδεμιστιῆς ἢ ὀλυμπικὸς ἢ χοραύλης ἢ κιθαριστιῆς ἢ λυριστιῆς ἢ ὁ τὴν ὄρχησιν ἐπιδεικνύμενος ἢ κάπηλος, ἢ παυσάσθωσαν ἢ ἀποβαλλέσθωσαν. Στρατιωτῆς προσιών διδασκέσθω μὴ ἀδικεῖν, μὴ συκοφαντεῖν, ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς διδομένοις ὀψωνίοις· *πειθόμενος* προσδεχέσθω, ἀντιλέγων δὲ ἀποβαλλέσθω Ἀρρήτοποιός, κίναιδος, βλάξ, μάγος, ἐπαιιδός ἀστρολόγος, μάντις, θηρεπωδός, λῶταξ, ὀχλαγωγός, περιάμματα ποιῶν, περικαθαίρων, οἰωνιστής, συμβολοδείκτης, παλμῶν ἐρμηνεύς, φυλαττόμενος ἐν συναντήσει λῶβας ὄψεων ἢ ποδῶν ἢ ὀρνίθων ἢ γαλῶν ἢ ἐπιφωνήσεων ἢ παρακροαμάτων συμβολικῶν, χρόνῳ δοκιμαζέσθωσαν· δυσέκνιπτος γὰρ ἢ κακία· παυσάμενοι οὖν προσδεχέσθωσαν, μὴ πειθόμενοι δὲ ἀποβαλλέσθωσαν. — — — — —*

Θεατρομανία εἴ τις πρόσκειται, ἢ κυνηγίους ἢ ἵπποδρομίους ἢ ἀγῶσιν, ἢ παυσάσθω ἢ ἀποβαλλέσθω. Ὁ μέλλων κατηχεῖσθαι τρία ἔτη κατεχεῖσθω· εἰ δὲ σπουδαῖός τις ἢ καὶ εὐνοίαν ἔχη περὶ τὸ πρᾶγμα προσδεχέσθω· ὅτι οὐκ ὁ χρόνος, ἀλλ' ὁ τρόπος κρίνεται. Ὁ διδάσκων εἰ καὶ λαικὸς ἢ, ἔμπειρος δὲ τοῦ λόγου καὶ τὸν τρόπον σεμνός, διδασκέτω ἔσονται γὰρ πάντες διδακτοὶ θεοῦ.

In hoc nostro textu arabico non modo vocabula graeca miro modo depravata sunt, sed ipsae etiam arabicae voces et sententiae obscuritate laborant. — Pro **نادرون** Vaticani Barb. habet **نادرزن**. Hanc vocem cum theatro **نادرون** connexam esse, negari non potest. Constit. VIII. 32. *τῶν ἐπὶ σκηνῆς . . . θεατρομανία εἴ τις πρόσκειται*. Coptus habet vocem graecam *θεατρικός* (p. 44); *θεατρώνης* propius ad **نادرون** accederet. **مُضَارِعٌ** gladiator esse videtur. Coptus habet *μονομάχος*, quod etiam in graecis constit. occurrit. **مَنْ يَجْرِي مِنْ مَحْرَى** si legas **مَنْ يَجْرِي** „qui currit“, cursorem s. *σταδιοδρόμον* significare potest. Quodsi legis **يَجْرِي** ad **ملاهي**, quod sequitur, trahi potest, ut sensus sit: Et ii qui ipsi scenicis ludis vacant et ii, qui artem ludendi vel saltandi alios docent. De his loquuntur Constitutiones Ap. *ὁ τὴν ὄρχησιν ἐπιδεικνύμενος*. Syriace (l. c. p. 31) *dar'kodo m'chawe*. Quod sequitur: **مَنْ يَهْرُزُ قَدَامَ الْمُونِيسْتَا** valde obscurum est. Vaticanus habet **المونلسيا**. Cum in textu graeco Olympici ludi commemorantur **المونيسْتَا** pro Olympiis positum esse primo suspicatus sum: **الونبيا** sive **الومبيا**. Sed totam phrasen **مَنْ يَهْرُزُ قَدَامَ الْمُونِيسْتَا** cum textu graeco comparanti, versio quaedam paraphrastica graecae vocis *λουδεμπιστής* esse videtur. Quae vox ex latino vocabulo ludus et graecis vocabulis conflata esse videtur. In cod. gr. Monacensi 380 p. 69 margini scholion additum est, quo vox *λουδεμπιστής* sic interpretatur: *ὁ τῶν παιγνίων ἄρχων· λοῦδα γὰρ παρὰ Ῥωμαίοις εἰσὶ τὰ παίγνια. Εἴρηται δὲ καὶ λουδεμπαίκτης*. In eodem codice (p. 74 in textu) *λουδεμπιστής*

ἐρμηνεύεται ὁ διακορήτης ἤγουν ὁ παρθενοφθόρος. Λοῦδος γὰρ παρὰ τῆ Ῥωμαίων διαλέκτῳ ἢ φθορά. (Cf. Lagarde, reliq. p. 11.)

Quae duplex interpretatio ostendit, vocem „ludempistes“ veteres interpretes varie exercuisse. Interpres Copticus ultimam partem: „pistes“ separatam intactamque reliquisse videtur. Quamquam, cur pro „pistes“ potius „munista“ posuerit, non satis liquet. Pro B recentiores Graecos *ΜΠ* scribere, compertum est: *μπασίας* پاشا, *μπαταλία* Battaglia, *μπαστάρδος* bastardus etc. Fieri potuit, ut vox latina: ludimagister, tam monstrose depravaretur.

Forsitan textus copticus loco obscuro lucem afferre potest, ubi haec leguntur: Vel publicus servus *δημόσιος* (scripsit Coptus *διμωσιος*) in circo (*μονομαχίῳ*). *توحش* quamquam a *وحش* bestia bene derivetur, apud Arabes nihil significat, quod nostro contextui conveniret: quid enim hoc loco est: „inani ventre fuit prae fame?“ Nisi huc trahere velis, quod Syrus habet: *bola segugitho* „devorans vitrum“. Hac interpretatione admissa haberemus illud genus praestigiatorum, quod nostro etiam tempore notum est. Quamquam propter sequens *كنيكس* melius forsitan de bestiariis et mansuetariis imperatorum interpretari poterit. *كنيكس* quin sit *κννηγός*, venator, non est cur dubitemus, cum haec vox (*κννηκος*) in textu coptico extet (p. 45). In textu graeco post *θεατρομανίαν* etiam *κννήγια* notantur. Non de communi venatione, sed de truculenta et luxuriosa animalium instigatione sermo esse videtur. *محارب مع الوحوش* est *θηριομάχος*, bestiarius. — Quid autem sit *بولوطس* quod intra venatorem et bestiarium ponitur, difficile dictu

est. Cum in graeco textu post *κυνίγια* ponantur *ἵπποδρομία*, vocem *بولوطس* ex *بودرمس* corruptum esse suspicor. In eo loco, qui est de grammatico, sententiarum connexio dura est. Praeterea, quid sit *كتير الابوالدس* vix conjectura assequor. Forsitan de oratione dominica, quae incipit *ابونا الديو* sermo est. Cui tamen interpretationi hoc obijci potest, scriptorem vix has notissimae precationis voces ita detorquere potuisse, ut jam nihil significant, nisi mutetur scriptio. Annotatione dignum est, pro ea sententia, quae in nostro canone locum de grammatico praecedat, in graeca diataxi haec legi (Fabric. p. 254). *Ὁ διδάσκων εἰ καὶ λαϊκὸς εἴη, ἔμπειρος δὲ τοῦ λόγου καὶ τὸν τρόπον σεμνὸς, διδασκέτω, ἔσονται γὰρ πάντες διδακτοὶ Θεοῦ.* Paene eadem verba occurrunt in sexto libro Didascal. copticae. (p. 172).

XIII. *سلطان القتل* ex arabica interpr. Didasc. copt. (p. 46) explicatur *مسَلط على سيف* „cui potestas gladii commissa est.“ Non est carnifex, sed qui habet potestatem vitae necisque; in Coptica enim Didascalica cum eo jungitur, qui civitatem administrat. (*ἀρχων τῆς πόλεως*). V. Prolegomena.

Illa sententia, quae incipit ab *كل انسان* „Omnis homo“ etc. manca esse videtur. Symbolica vestis justitiae, alicui vestimento, quo dignitas significatur, opponitur. In Didasc. coptica de purpureo praefectorum vestimento i. e. de toga praetextata sermo est. „One who has authority over the sword, or a ruler of a city, clothed in purple, let him cease, or let him be rejected.“ (p. 46.) Quare aliquamdiu dubitavi, num nova sententia post *رووسهم* ab *الدين نالوا*

incipienda sit: Quicumque adepti sunt insignia (purpuram) omnis hominis, qui adeptus est dignitatem praefecturae etc.

XIV. قَائِدٌ „praefectus, dux“, cui dignitati romanae respondeat, difficile dictu est. Apud Lampridium inter eos, qui tempore Eliogabali muneribus publicis fungebantur, duces nominantur. — A له سيفٌ novam sententiam incipere puto. Quae sequuntur فَلَا يَدَعُ عَلَيْهِ وَزَرَ دَمٍ sic interpretor: Neve permittat (ut consciscatur) super eum (gladium) reatus sanguinis, vel: Ne permittat, ut obruat (ut in se ipsum cadat) reatus sanguinis.“

XV. من ياكل حق الزنأ cicumscriptio lenonis videtur esse. In Syriaco test. (p. 15) „homo, qui pascitur fornicatione“ a Lagardio p. 87 πορνοβόσκος dicitur. — Quid sit اينسطوس Astûs, dubium est. Forsitan legendum est οἰωνιστής quod in loco parallelo Const. Ap. VIII. 32 occurrit. Ἄσωτος, si solum sonum aestimaremus, magis arrideret, sed in locis parallelis non extat. عاجز „infirmus, debilis“ quomodo inter maleficos abominabiles appareat, mirum esset, nisi e graeco βλάξ interpretari posset, quod l. c. in Constitut. Ap. occurrit. Ita qui mendacia dicit من يتكلم بدغل non quilibet mendax, sed ille tantummodo esse potest, qui honorem proximi vel fidem ecclesiae mendacio laedit. Quenam graeca vox hic lateat, nescio. مفتن الجماعة e graeco ὀχλαγωγός versum esse videtur. حاوی apud Boethor-Perceval pro „escamoteur“ ponitur. انها مذمومة secundum usum moralistarum arabicorum ad opera pertinere posset, quae decoris et laude dignis vir-

tutibus **المبدوحة** opponuntur, ita ut sensus sit: Illa (opera, quae recensuimus), reprobata sunt.

XVI. **سرية** idem est ac **παλλακή**. **عليها** exclusivam significationem hoc loco habere perspicuum est, ita ut sensus sit: si illa sua concubina spreta, aliam foeminam matrimonio sibi jungit. Constitutiones (VIII. 32) praecipunt: „Fidelis, qui habet concubinam, si servam, desinat, et legitime ducat uxorem; si liberam, in uxorem legitimam accipiat; si nolit, rejiciatur.“ Fragm. Clem. Syr. (p. 16 seq.) Concubina quae alicui adhaesit, si serva est et ad fidem volens convertitur, si etiam filios progenitos alit et educat, audiatur, si a domino suo recedit vel ipsi soli matrimonio justo copulatur. Potest etiam ad baptismum et ad communionem admitti. Si nec unum nec alterum praestare vult, rejiciatur. Aliud habet trad. Ap. Hipp. (Fabr. p. 254). Concubina cujuscumque ancilla (**δούλη**) modo illi soli vacarit, admittatur, si autem cum aliis petulanter agit, rejiciatur. Vide, quae in prolegomenis disputavimus.

XVII. In titulo breviter **وما يُفَعَّلُ** dictum est: „quid fiat“ sc. ab iis; quid facere, quid omittere debeant.

Initium canonis obscuritate laborat. Pro **راسها** Vat. in textu et Barber. in margine habet **وارس** quod vix interpretationem sanam admittit; nisi deleas **waw** post **حرة** qua litera deleta sic sententia sonat: „Mulier libera caveat, ne in ecclesia induatur veste variegata, colores ejus (**ألوانها**) elegantur secundum voluntatem conjugis.“

De velandis mulieribus post S. Paulum (1 Cor. XI, 3 seqq.).

Tertullianus proprio libro montanistice tractavit. ¹⁾ Quod matribus Christianis praecipitur, ut ipsae filios suos nutriant, neve nutricibus officium maternum cedant, insigni attentione dignum esse videtur. — Quae de scientia quarumdam foeminarum praestanti dicuntur, ad visiones et prophetias pertinere videntur.

Quod secundum meam interpretationem de inspectrice (رقيب) caeterarum foeminarum dicitur, de diaconissis vel viduis, ecclesiastico officio consecratis, intelligendum est, si bene interpretatus sum. Fateor enim, dubiam mihi esse illam versionem, qua autem meliorem non habeo.

Adjuncta est huic canoni animadversio de catechumenis, de quibus canon sequens plenius tractabit.

Ratio, cur de catechumenis et mulieribus fidelibus simul tractetur, in eo quaerenda est, quod gravidis accessus ad ecclesiam simili modo prohibitus erat, ac catechumenis.

„Orent (catechumeni) separati a Christianis.“ Origines dicit, catechumenos κατ' ἰδίαν esse, donec baptizentur. (c. Celsum III. 51.)

De termino purificationis hic canon a posteriore (Can. 18) differt. — Proselytis ad catechumenatum admittendis manus impositas esse, cum nostro canone testantur Constitutiones ap. VII. c. 39 (Migne p. 1040, B.). Catecheta ibidem dicitur ὁ χειροθετῶν. Ad quem locum Cotelerium audi.

Locus de velandis virginibus tractans haec habet subobscura: فليغطين مثل النساء الكبار بيلالتهن ليس بثوب خفيف.

1) De velandis virginibus. Ed. Migne, t. II. p. 887 seqq.

Si cum Vatic. legas **ببلايهن** „pallii“ nomen in arabicum sermonem receptum apparet. Cf. Proleg. Canon id intendit, ut velo virgines ne abuantantur ad vanitatem. Panni leves, cujus generis *διαφανῆ* erant vestimenta, non verecundiae, sed seductionis instrumenta erant. Talia incitamenta vitiorum ab ecclesia arcet canon sobrius. **درجة** **نسائهن** quasi una vox tractatur: **درجة نساء** est gradus mulierum, status muliebris. Pronomen posteriori vocabulo annectitur, ut in **عزيز كتابكم** Ew. gr. ar. 533.

XVIII. Quilibet videt, terminum separationis hoc canone duplo largiorem esse, quam in canone praecedente. In quo, quum illa sententia contextum perturbet, annotationem cujusdam esse suspicor, qui secundum suam aetatem legem separationis delineavit. (Cf. Levit. c. XII.)

In Ecclesia graeca primo, deinde vigesimo vel decimo sexto die post partum puerpara benedictione in Euchologio designata, consolatur. Deinde, die quadragesimo mulier cum puero in ecclesiam cum benedictione recipitur. (Cf. Goar, Euchol. p. 324 seqq. Ed. Pinelli 1622, f. 56.) In eo igitur loco ecclesiae, qui catechumenis nondum baptizatis destinatus erat, mulieres gravidae et illae puerperae conveniebant, quae quadragesimum diem post partum nondum attigerant.

XIX. Hic de catechumenis canon ex iis complendus est, quae jam dicta sunt c. 17. 18.

Catechumenus in lexico Bokhtori est **تلميذ للعباد**. Melius in canonibus nostris dicitur **وعظ a المتعظ**. In litur-

gia arabica et graeca, Romae a. 1839 impressa p. 258 *οἱ κατηχούμενοι* sunt *الموعوظون*.

Totum canonem in 17 paragraphos distinximus, quo facilius annotationes cum textu comparari possent.

1. Catechumenos martyres baptismo sanguinis expiari, Constitutiones Ap. (V, 6) docent, de sepultura martyrum nihil praecipiunt.

2. *إذا أعبدوه* in Vat. scriptum est *إذا عبدوه*. Cum de futuro baptismo agatur, ex contextu transtuli: „Catechumenus baptismo initiandus.“ — Pro *دفع* scriptum erat *رفع* proprie est „exaltare, elevare.“ *دفع* ad hunc contextum non quadrat, vituperatione enim dignus esset catechumenus, qui propelleret debiles.

3. *إِنَّ وِزْرَةَ عَلَيْهِ وَحْدَهُ* proprie: „Certo onus ejus (catechumeni) supra eum (sc. Episcopum) solum impositum est.“ Tertullianus testatur, catechumenos peccata vitae praeteritae confessos esse, antequam baptizarentur. (V. Mayr, l. c. p. 135.) Pro *نصيفا* posui *نَظِيفًا*, quia *نصيفا* a contextu alienum sensum efficit, nisi interpreteris: „particeps veritatis.“

4. Quaestiones, quae hoc loco praescribuntur, ad scrutinia catechumenorum pertinent. De quarum explorationum modo canon iste clarius, quam caetera documenta, singulatim tractat. Proxime accedit Didasc. copt. § 45, p. 52.

5. Cavendum erat, ne baptismus pro communi lavacro esset. Catechumeni igitur ante baptismum lotionem sese purgabant. Compara didasc. copt. p. 52 seqq.

6. Pro ipso baptismo dies sabbati destinatur. Didasc. Copt. p. 54.

7. Cf. Didasc. Copt. p. 56. — Primo quidem in iis vocibus, quae ad fontem baptismalem pertinent, cum in utroque codice minus perspicuae sint, haesitavi, inprimis in voce تيار. Postquam autem vidi, inferius, in Canonis vigesimi noni et inscriptione et textu, vocem تيار in utroque Codice recurrere; hoc loco diutius non dubitavi hanc vocem retinere. Barberinus hoc loco haec habet: الديك على الماء. Vaticanus autem على تيار. بحر صافي مستعد مقدس. ما بحر صافي مستعد. Vocem تيار lexica de unda maris aestuante interpretantur. Illa igitur voce significatur, aquam piscinae baptismalis aut vivam, aut recens infusam et adhuc commotam esse debere. Coptica didascalia (§ 46, p. 54 seq.) rem optime illustrat praecipiens, ut in piscinam aqua aut manu infundatur aut ex fonte fluat. In loco, qui aquae penuria laborat, aqua ex fonte haustus ex professo infundenda est, ne baptismus in stagno fiat. Cf. Proleg.

Ut in baptismo pudicitiae ratio habeatur, noster canon similiter ac alia documenta praecipit, sed severius quam caetera. Foeminas solutis crinibus descendere debere, etiam didascalia copt. (p. 56) et Clementis liber II. syriacus (ed. Lagarde p. 17, col. 16) praecipunt. Rationem autem illam a daemonibus repetitam, et Syrus et Copta omittunt. Quae hic de ornamentis aureis vel argenteis relinquendis praecipuntur, Syrus non ad mulieres, sed etiam ad viros pertinere significat.

8. Duplex oleum hoc loco distinguendum est. Utriusque

nomen graecum in Coptico textu Didascaliae servatur. **زيت الاستكلاف** est oleum exorcismi i. e. secundum usum hodiernum, proprium oleum catechumenorum. **زيت التشكر** apud Coptos vocatur oleum eucharistiae. Est chrisma, quo baptismalis caeremonia confirmatur, ipsaque confirmatio perficitur. Hoc alterum genus sacri olei etiam **زيت المسحة** „oleum unctionis“ vocatur.

9. In abrenunciatione Satanae catechumenum versus occidentem, in agnitione Christi versus orientem spectasse, veteres testantur. S. Hieronymus in prophet. Amos cap. IV. brevissime dicit: In misteriis renuntiamus ei primum, qui in occidente est, et sic versi ad orientem, pactum inimus cum sole justitiae. Cf. Martene, de antiq. ecclesiae ritibus I. 13, 8.

„Pompa“ Satanae, quae vox in formulis abrenunciationis ubique recurrit, secundum interpretem Arabicum vel turban comitum (**خَدَمَة**), vel cultum (**خِدْمَة**) Satanae significat, neque vero fastum vel superbiam Satanae. Copta (ed. Tattam p. 57) interpretatur: *schemschi* i. e. servitium, ministerium, cultus. Si oppositum consideremus, quod proxima paragraphus affert, (**لِخَدَمَتِكَ**) turbae tuae, i. e. universitati servorum dei, vero simile nobis videtur, hoc loco Arabem voce (**خَدَمَة**) servos et socios, turbam sociorum et asseclarum Satanae, significare voluisse, quae translatio vocis *πομπή* graecorum auctorum usu comprobatur.

10. Hoc loco **خَدَمَة** non cultum, vel servitium **خَدْمَة** sed turbam famulorum, militiam igitur coelestem esse, **خَدَمَة**, contextus docet.

11. Professio fidei, quam haec pars canonis praescribit, cum Symbolo apostolico consonat, nisi quod quaedam addita sunt, quibus doctrinae expositio uberior fit; in quibus additionibus ea praefulget, quae Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere docet.

12. Haec unctio eadem esse videtur, de qua Constitutiones Ap. II. c. 32. dicunt: δι' οὗ (sc. ἐπισκόπου) ἐσφραγισθήτε ἐλαίῳ ἀγαλλιάσεως καὶ μύρῳ συνέσεως. Ἐλαιὸν ἀγαλλιάσεως ab oleo gratiarum actionis (εὐχαριστίας) non differt.

13. Impositionem manuum Episcopalem aut solam, aut praecedenti unctioni junctam, confirmationis locum obtinere, theologi videbunt. — Ungebantur catechumeni secundum hunc canonem et didascaliam copt. (p. 60) nudi, nondum in ecclesiam inducti; imponebat Episcopus manus vestitis et in ecclesiam introductis. — Verba **ويمسكه بثوب ويحفظه له** habent aliquid distortum. Pronus eram, ut scriberem **وَيَجْفِضُهُ لَهُ** „et demittet illud (vestimentum) ipsi“ ex aqua scilicet ascendenti. — Forsitan legendum est: **وَيَمْسِكُهُ بِثَوْبٍ** „jam efficit, ut ille (catechumenus)prehendat vestem, quam illi servavit.“ De albis neophytorum vestibus tractat Martene l. c. l. I. cap. 1. art. 15. § 5. et saepius.

14. De osculo baptizatis exhibito idem Martene audiendus est l. c. l. I. cap. I. art. 15. § 1. De quo osculo Didasc. copt. (p. 62) silet, orationes solas populi commemorans.

15. Quae hoc loco de Missa dicuntur, ex iis aestimanda sunt, quae sequuntur. Mellis et lactis usus inculcandus videbatur

auctori; quae ad ipsius missae sacrificium pertinent, obiter tractata sunt. — Secundum arabicum textum diaconus „incipit sacrificare“, i.e. incipit caeremonias et orationes praeparatorias, quae ad Kuddâs (قدّاس) i. e. missae sacrificium pertinent. Didascalia coptica dicit: Afferat Diaconus Episcopo oblationem προσφοράν i. e. panem et vinum consecrandum. De toto officio liturgico, quod ab Episcopo adjuvantibus diaconis fit, usque ad communionem nihil singulatim animadvertitur, cum id tantummodo docendum sit, quod ad Neophytos pertinet. Supponitur, liturgiam ab Episcopo eo usque perduci, donec et ipse et clerici communionem sanctam acceperint. Quae de panē et calice eucharistico post cleri communionem reliqua sunt, „اواخر سرّية“, reliquiae sacramentales“ vocantur, de quibus fideles laici, et postremo neophyti communionem accipiunt.

Antiquus mos, neophytis praeter s. communionem lac et mel manducandum proponendi, variis testimoniis constat, quorum copiam apud Martene (l. c. l. I. c. I. art. 15. § 16) invenies.

In constructione sententiarum et nexu singularum vocum quaedam hîc occurrunt, quae ex vulgaris ejusque minus puri sermonis usu explicanda sunt, ut ويرون نَمَوّ pro قدام بعضهم بعض; انهم عاليون الذين نادوا انها عالية كَأَسَاتِ آخَرَ (أُخْرَى) لَبِنِ. Etiam بَعْضُ قدام بَعْضِهِمْ pro وعَسَل claudicat. Pro لا يعود هذا الذي لا يعود نية هذا الذي لا يعود الى مرارة.

16. Jejunium ante s. Communionem observandum etiam Clementis liber secundus Syriacus (ed. Lagarde p. 18) iisdem paene vocibus praecipit, quibus noster canon utitur.

17. Catechumeni juniores, quorum instructio ad finem non erat perducta, eodem tempore, quo proveciores jam baptizabantur, ab uno catecheta instruebantur, quia caeteri ad caeremoniam festivam baptismi invitati erant. Sic hunc locum intelligo, in quo denuo apparet, auctorem horum canonum ex caeteris documentis, nobis notis, non pendere.

Quamquam autem catechumeni cum neophytis non feriarentur, tamen cum ipsis jejunabant. Hoc in fine canonis observatum est.

XX. **الذی قَنَّتْ** proprie: „Quos (dies) sedulo scrutans invenies hosce“. Quae lectio, quamquam aperte extet in Cod. Vat. tamen suspicor, reponendum esse **كُتِبَتْ** „Qui (dies) proprio suo nomine sic appellantur.“ Forsitan vox **قَنَّتْ** ad **قانون** reducenda est, unde verbum denominativum **قَوْنَن** derivari, lexica testantur. Quae derivatio si admitteretur, vertendum est: „Diebus jejunii, qui secundum Canones sunt feria quarta“ etc.

XXI. Simili modo tertia homilia Clementina (§ 69) adhortatur, ut vel singulis horis fratres conveniant. — Quae de medicinali utilitate frequentationis ecclesiae dicuntur, alibi non occurrunt, quantum equidem memini. —

XXII. Quomodo Pascha celebrandum sit, docent constitutiones apostolorum l. V. c. 13 seqq. Propius ad nostrum

canonem accedit didascal. copt. p. 74 seqq. Cf. infra canonem ultimum (38.). منجل منجل integrum servavi. منجل est abbreviatio pro من اجل. Eadem forma compendiosa منجل occurrit saepissime in Cod. ar. Vatic. 409. f. 123. b. منجل انه لا يجوز للابودياقن ان الورايرة علي عانقه. Non licere subdiacono ut ponat stolam (orarium) super collum suum. f. 118. b. منجل انه, منجل occurrit octies.

XXIII. Quod hic auctor studium et veritatis cognitionem mari magno comparat, ex psalmo forsitan 103 (104) v. 24. 25. interpretatione ingeniosa desumptum est: Omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua. Hoc mare magnum, et spatiosum manibus. Non vera, sed ingeniosa esset interpretatio.

XXIV. Simili modo episcopus admonetur, ut visitet infirmos in Didasc. copt. p. 76. (De visitandis infirmis feria IV. hebdomadis sanctae v. Martene, de antiqua Ecclesiae disciplina cap. 21. art. X. p. 220.) Duplicis abusus, quem hic canon impugnat, alibi nullum est vestigium, quantum ego memini.

XXV. Quae de cura pro infirmis hic traduntur, nec in Constitutionibus neque in didascaliae recensionibus occurrunt.

Quae autem hoc loco de septemplici oratione quotidiana Christianorum praescribuntur, consonant iis, quae leguntur in Didascalia coptica (ed. Tattam p. 84 et p. 142), in fragmentis Syriacis Clementis (p. 25 seq.), ubi sanctus Paulus singularum horarum orationes praescribit. Proxime etiam

accedunt ea, quae in Traditione Apostolorum Hippolyti graece extant (c. 22. ed. Fabr. p. 255.)

Pro الساعة الثالثة ثالث ساعة dicendum erat; pro حتى يُعْتَقِنَا حتى عتقنا scribendum erat. —

Septem horae orationis secundum hunc canonem hae sunt:

1) Vigilia nocturna, quae nunc officio matutino cum laudibus respondet; 2) hora prima, 3) tertia, 4) sexta, 5) nona; 6) vesperae, 7) completorium.

XXVI. De audiendis in ecclesia sermonibus sacris, cum nostro canone comparanda est Didascalia coptica (ed. Tattam p. 82 et p. 144). Illa sententia الذين يجرّكهم العقد subobscura est. Primo cogitavi sensum esse: „Qui commoventur a ratione domi (remanentes, ecclesiam non adeuntes), quod in ecclesia audierunt, non efficiunt opere“. Canon moneret Christianos, ne nimium vacent curiositati cuidam perscrutationis. Sed illa interpretatio, quam in textu posui, magis probanda erit.

XXVII. Similem exhortationem ad lectionem spiritualem domesticam habes in Didascalia copt. (ed. Tattam p. 84). A vigiliarum orationibus illae distinguuntur, quae ad galli cantum fiunt. Hae matutinae preces eadem esse videntur, de quibus in canone praecedente tractabatur. Respondent aut laudibus nostris, aut horae primae.

Ne Christiani matrimonio juncti ab oratione nocturna sese excusent impuritatis cujusdam praetextu, monet auctor, illam impuritatem non Judaico more esse aestimandam. (Cf. Didasc. copt. p. 86).

Illud: „Hoc modo faciens“ **يُصنع هكذا** e Didascalia coptica (p. 90) illustratur, quae exhortatur Christianos, ut semper memores sint Salvatoris, ejus signo frontem signantes. In manuscripto igitur post illa verba: „Hoc modo faciens“ crucis forma depingenda erat.

XXVIII. De jejunio ante communionem observando nostro canoni consonat liber Clementis secundus Syriacus (Lagarde, Relig. Syr. p. 18 graec. p. 88.). De arcendis iis, qui nondum sunt baptizati, confer Const. Ap. VII. 25.

XXIX. Diaconorum officium esse, flabello muscas arcere, praescribunt Constit. Ap. VIII. 12. (Migne p. 1092). De simili praecautioe in ecclesia occidentali tractat Martene, de antiquis ecclesiae ritibus (L. I. c. 4. art. 8. § 6 ed. Rotom. 1700. t. I. p. 398). — Vigilantia summa primos Christianos cavisse, ne quid de Eucharistia decideret in terram, Tertullianus cum Origine testatur. (Tert. corona militis c. 3., Orig. homil. 13 in Exodum. apud Martene, l. c. p. 654). Comminationem de obsessione daemoniaca propter abusum sacramenti timenda, compara cum iis, quae paulo post tempus Hippolyti St. Cyprianus refert (de lapsis ed. Pamelii Antw. 1589 p. 222 seq.) — Adytum velandum esse, analogia templi Hierosolymitani suasit. Recentiores illa vela **βελόθυρον**, vel **βηλόθυρον** appellant. V. Ducange s. v. **βέλον**. Angelos altari adstare, antiquitas christiana credebat. Hi sunt **سلاطين الموضع** potestates loci sancti. De tintinnabulis Aaronis vide Exod. 28, 31 seqq. 39, 22 seqq.

Ut de templo Hierosolymitano aliquando cineres hostiarum in locum quendam profanis usibus alienum (Mischnah

Sebachim XII. 5) deferebantur, sic ecclesiae ritus praescribit, ut ea omnia, quae cum rebus sacris aliquo modo commixta esse viderentur, in locum quendam honestum, qui sacrarium dicitur, effunderentur. Cujus consuetudinis primum vestigium hic, nisi fallor, deprehendimus.

Is locus, quem transtuli: „et effingunt redemptionis totius orbis terrarum similitudinem, quae similitudo sanguine agni perfecti sc. Christi intendit“ intricatas phrases continet. Quod scripsi منتبى, ad نوى, نية referendum, in Vat. موسى scriptum est. In Barb. obiter legenti ut موسى apparet. Forsitan وَمَا a موما „innuere“ reponendum est. — Baptismus sigillum الحاتم vocatur ut apud Tertullianum „signaculum“. (De spectaculis c. 24.)

XXX. وما سواه proprie „quod ad id“ pertinet, i. e. ad totum negotium sacrum catechumenorum. — Est allocutio ad tironem pium, qui ad Christianae religionis professionem paratum sese ostendit. Dicitur ناسك, quo nomine ascetae et eremitae appellari solent. — دل اخبت in Vat. scriptum est بل جب in Barb. آخبت pro quo posui آخبت in imperativo I. Si pro جب legas, آجب eam sententiam habes, quam in versione expressi. آخبت si admittitur, haec sententia est: „Tu autem quiete age cum cogitationibus tuis et responde“. Effatum domini, ad quod alludit canon, non secundum verba, sed tantummodo secundum sententiae vim afferri videtur. Cf. Luc. XII. 15. — Pro فلا تكن

فتكن quod ex Cod. transtuleram, reposui سیرتکم quia contextus negationem non fert. — Ita pro ان يقول reposui لان يقول. — In eo loco, quem transtuli: Virtus nimis ardua est pro لا تصبر لهذا Barb. habet لا تبقى تتطهد (significat quod est: non permanebis in improbo labore (ضهد). — Et ad inanitatem redigitur major pars eorum, quae fuerunt“. — Abigailem in ارواكا vel ازواكا conversam esse, quilibet videt. Post ان سيدنا intrusa est sententia a contextu aliena لانه يجب للملايكة منازل (quod in utroque cod. scriptum est يجب). Pro تقلبت de porco sese in coeno volutante, Barb. habet تلتفت. — Proprie vertendum est: „Curae ipsi neque arma (آلة) neque vestimenta militaria sunt.“

Adjectivum طَبِثٌ, vel طَبِثٌ apud bonos autores, nisi fallor, non extat. Est idem, ac hebraicum נָחַץ, vel arab. نَجَسٌ. — ويدع له خير للملايكة. — نَجَسٌ. — Quodsi يدع a ودع retinetur, et pro خير legitur خبر, sententia ad humilitatem pertinens haec est: „Missa faciat negotia angelorum“, i. e. nimis ardua ne moliatur.

XXXI. Pro تركية Codicis reposui تزكية quod in Arabico textu Didascaliae copt. pro ψήφος occurrit. (Vide Tattam p. 132. et prolegomena.)

XXXII. De virginum et viduarum devotionibus, de jejuniis voluntariis clericorum similia habet Didascalia Coptica (p. 66), nisi quod cum clericis etiam laicis conceditur libera facultas jejunandi.

Quae monentur de reservanda eleemosyna in posterum et tertium diem, obscura sunt. Quod de negligentia (توانی) additur, eo consilio dictum esse videtur, ut eleemosyna celeriter dispertiatur. Didascalia coptica, quamquam loco laudato (p. 68) de agapis tractet, de reservata in alterum et tertium diem eleemosyna nihil habet.

Forsitan hoc loco قربان non eucharisticam, sed vulgarem oblationem, pauperibus distribuendam, significat. کیریاکن *κυριακή* hoc loco eodem modo in accusativo ponitur, ut in recentioribus liturgiis arabicis افشین *efschîn* pro εὐχῆ. Quod pauperes jubentur adesse ad eucharistiam i. e. gratiarum actionem initio s. sacrificii, testimonio est, jam tum aliquos pauperes pronos ad panem lucrandum, pietatis officiis minus deditos fuisse, quam par erat. — Quae de lucerna accendenda hic dicuntur, comparanda sunt cum oratione lucernali, quae est in Constit. Ap. VIII. c. 36 et 37.

XXXIII. انالمسس nihil aliud esse potest, quam ἀνάμνησις, Commemoratio, quamquam in graecis Constit. Ap. VIII. c. 41 et 42, ubi de commemoratione (μνεία) defunctorum sermo est, ἀνάμνησις non occurrat. — Traditio Apostolorum graeca (23. ed. Fabric. p. 256) praecipit, ut anniversarius dies observetur pro memoria (εἰς ἀνάμνησιν) defunctorum.

سكينة ex hebraico שקינה derivata vox est, quae gloriam divinam, vel gratiae effectum apertum significat. Quid sit الكوتاكن difficile dictu est. Forsitan pro κυριακόν positum est, الكورياكن. Quamquam non de ipso δείπνον κυριακόν i. e. de coena domini (cf. 1 Corinth. 11, 20.) sermo est, tamen illae coenae pro pauperibus institutae ad coenam domini quodammodo pertinent. De خبزا كسر كشمس vide annot. ad can. 34.

XXXIV. Haec admonitio ad Agaparum modestiam pertinet, ut ex Didascalia copt. (p. 68) apparet.

Quae de Episcopo adduntur, ab interpretatione vocum فأنهم يَرْتَجُوا به وَيَرْتَجُ et يَرْتَجُوا pendent. Si legas: فأنهم يَرْتَجُوا به وَيَرْتَجُ sententia mutatur: „Quo sermone et auditores proficient et ipse proficiet et lucrabitur aliquid.“ Docendo enim discimus. Qui munere concionatoris bene funguntur, et auditores juvant et ipsi magis magisque scientia et virtutis amore augentur. Minus placet: يَرْتَجُوا et يَرْتَجُ; quam lectionem si praeferas, interpretaberis: Quando autem Episcopus concionatur sedens, caeteri cum tremore assistant atque etiam ipse non sit sine tremore. خبزا كسر كشمس et in hoc et in canone 33. occurrens, subobscurum est. De eulogiis esse sermonem, quae post acceptum sacramentum ante comestionem communem dabantur, certum est. Lego خُبْرًا كُسِرَ كَشْمِسٍ quod duplici modo interpretari possumus. Panis, qui frangitur sole adhuc lucente, vel panis, qui frangitur in similitudinem solis; quod tamen minus aptum est, non enim demonstrari potest,

eulogias imaginem quandam solis retulisse. Reliquum est, ut scriptura utriusque canonis mutata legamus *كشائيس*, „ut diaconus“. Presbyter enim, qui eulogias distribuit, diaconi munere fungitur. De eulogiarum vetere usu v. Du Cange s. v. Eulogia.

XXXV. Illa fractio panis, quae diacono permittitur, ad eulogias pertinet. Ex ipso canone apparet, signo crucis panes sanctificatos fuisse.

Quae hic de dimittendis viduis ante solis occasum dicuntur, eam interpretationem confirmant, qua illud *كشيس* explicavimus.

XXXVI. Pro *حسرة* ante *عمل ايديهم* Vat. habet *اجرة*, quod in versione expressi, quia *حسرة* quasi querelam de gravitate hujus tributi ecclesiastici innuit. *الستارة* est velum, quod portis presbyterii appendi solebat, vel ipsum *βηλόθυρον*. — *المقاتي* pluralis vocis *مَقْتَاة* est. Consonat hebraica vox *מקץ* ager cucumeribus consitus. Conferantur ea, quae in Constitutionibus Apostolorum (l. VIII. c. 30) de primitiis et decimis dicuntur.

XXXVII. Vestes clericorum distinctas esse debere, dilucide dicitur. Quid autem sit *وضويين* secundum Vat., *طوييس* sec. Barb., vix explicari posset, nisi coptica vox *Τουβο* „mundare, purificare“ praesto esset, cum variis derivationibus, de quibus v. Peyron, lex. copt. p. 235.

XXXVIII. **تَحُلُّوا** قبل ان proprie: „antequam ad Pascha descendatis“. Pro secunda persona tertiam posui. Pro **الآن نجد موضعا** Vat. habet الى; si legas **إلى أن** habes: „donec“. **ونصيب هذا** proprie est: „Et deprehendimus (نصيب) talem“.

Corrigenda. P. 1. l. 3. pro elucidatum est, lege: „dilucidatum est“, vel „illustratum est.“ P. 2. l. 6. „Catalogi arabicorum codicum auctor . . . sine dubio Stephanus Evodius Assemanus est.“ Mai, Coll. IV. p. VI. P. 20. l. 10. pro *ἀποτολική* lege: „*ἀποστολική*.“ P. 23. lin. 10. Lege: „Can. 16 eum, qui concubinae, e qua filium suscepit, justo matrimonio non jungitur, occisorem hominis vocat.“

Impressit F. Straub, typographus academise.

73

31

